ENCHIRIDION BIBLICUM

DOCUMENTA ECCLESIASTICA

SACRAM SCRIPTURAM SPECTANTIA

AUCTORITATE PONTIFICIAE COMMISSIONIS DE RE BIBLICA

EDITA

ROMAE
APUD LIBRARIAM VATICANAM

1927

Bibliothèque Saint Libère

http://www.liberius.net

ENCHIRIDION BIBLICUM

PRAEFATIO

Cum Ecclesia numquam destiterit, sive solemnioribus declarationibus sive magisterio ordinario, divinitus traditam de Libris Sacris doctrinam exponere et contra omnes adversariorum impugnationes tueri ac defendere, cumque huiusmodi documenta non facile omnibus praesto esse possint, visum est quaedam ex praecipuis, ea scilicet quae sacrorum administris et seminariorum alumnis scitu magis necessaria sunt, in unum colligere. ut et expeditior fiat eorum usus, et doctrina Ecclesiae de origine divina Sacrorum Librorum deque eorumdem omnimoda veritate ac demum de iis omnibus quibus eorum firmatur auctoritas, penitius et securius percipi queat.

Quod ad indolem Enchiridii attinet, animadvertendum est collectionem hanc *authenticam* esse; quare, in ea perficienda nulla alia documenta fuisse generatim adducta praeter ea quae ab Ecclesiastica auctoritate prodiere: quinam autem sit valor quem quodlibet ex allatis instrumentis sibi vindicet, facile cuique patebit.

Quia vero nonnulla exstant documenta, quorum origo et auctoritas in obscuro quidem sunt, veneranda tamen antiquitate maxime commendantur, ut e. gr. Canon Muratorianus et Decretum Gelasianum, operae pretium aestimatum est eadem Collectioni adiicere.

Ad consulendum perspicuitati et brevitati, ex documentis longioribus eae partes tantum relatae sunt quae rem bi-

blicam propius respiciunt, ceteris quae eam directe non attingunt, resecatis, uno excepto decreto « *Lamentabili sane exitu* » quod, ob eius momentum, ex integro transcriptum est (¹).

Eadem de ratione omissa sunt documenta illa quae de studio linguarum semiticarum, de Locis sanctis, de Sacrae Scripturae expositione in publicis concionibus, de lectione Librorum Sacrorum, de Societatibus biblicis, de libris apocryphis et his similibus agunt, quippe quae ad scopum propositum minus conferre videbantur.

Romae, die festo ss. Apostolis Petro et Paulo sacro, 1927.

(¹) Ut fontes ipsi facilius adeantur, in notis appositis citati invenientur, additis interdum recentioribus etiam quibusdam operibus quae conferre juvabit.

Titulorum compendia facili negotio intelligentur, e. gr.

Corp. = Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum, ab Academia Vindobonensi editum;

Conc. Trid. ed. Soc. Goerres. = Concilium Tridentinum ...edidit Societas Goerresiana;

PG vel PL = Migne, Patrologia Graeca, Patrologia Latina.

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICUS

(1) *Citatur ad calcem pag. 87 s. Epistola « Tuas Libenter » Pii PP. IX ad Archiep. Monaco-Frisingensem 21 Dec. 1863* (n. 280 s.), *et Conc. Vatic. ss. III, Can. de Fide et Ratione* (n. 282).

Fragmentum Muratorianum saec. II ([1])

... quibus tamen interfuit et ita posuit. Ter- 1
tium Evangelii librum secundum Lucam.
Lucas iste medicus, post ascensum Christi,
cum eum Paulus quasi itineris studiosum ([2])
secum adsumpsisset, nomine suo
ex opinione conscripsit, Dominum tamen nec ips
vidit in carne, et ideo, prout assequi potuit,
ita et a nativitate Iohannis incipit dicere.
Quartum Evangeliorum Iohannes ex discipulis. 2
Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis,
dixit: « Conieiunate mihi hodie triduo et quid
cuique fuerit revelatum, alterutrum
nobis enarremus ». Eadem nocte reve-
latum Andreae ex Apostolis, ut recognos-
centibus cunctis Iohannes suo nomine
cuncta describeret. Et ideo, licet varia sin-
gulis Evangeliorum libris principia
doceantur, nihil tamen differt creden-
tium fidei, cum uno ac principali spiritu de-
clarata sint in omnibus omnia de nativi-
tate, de passione, de resurrectione,
de conversatione cum discipulis suis
ac de gemino eius adventu,
primo in humilitate despecto, quod fu-
it, secundo in potestate regali prae-
claro, quod futurum est. Quid ergo
mirum, si Iohannes tam constanter
singula etiam in epistulis suis proferat
dicens in semetipsum: *Quae vidimus oculis
nostris et auribus audivimus et manus
nostrae palpaverunt, haec scripsimus vobis* ([3]).
Sic enim non solum visorem se et auditorem,
sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordi-

([1]) Loco textus codicis Ambrosiani (J. 101 sup., saec. VIII) satis corrupti, forma iuxta auctores recentiores restituta proponitur.

([2]) Alii *itineris socium;* alii *litteris studiosum;* codex *ut iuris studiosum.*

([3]) 1 Io. 1, 1-4.

3 nem profitetur. Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optimo Theophilo comprendit, quae sub praesentia eius singula gerebantur, sicuti et semota passione Petri evidenter declarat, sed et profectione Pauli ab Ur-
4 be ad Spaniam proficiscentis. Epistulae autem Pauli quae a quo loco vel qua ex causa directae sint, volentibus intellegere ipsae declarant. Primum omnium Corinthiis schismae haereses interdicens, deinceps Galatis circumcisionem, Romanis autem ordinem Scripturarum, sed et principium earum esse Christum intimans prolixius scripsit. De quibus singulis (1) necesse est a nobis disputari, cum ipse beatus Apostolus Paulus sequens predecessoris sui Iohannis ordinem non nisi nominatim septem ecclesiis scribat, ordine tali: ad Corinthios prima, ad Ephesios secunda, ad Philippenses tertia, ad Colossenses quarta, ad Galatas quinta, ad Thessalonicenses sexta, ad Romanos septima. Verum Corinthiis et Thessalonicensibus licet pro correptione iteretur, una tamen per omnem orbem terrae Ecclesia diffusa esse dinoscitur; et Iohannes enim in Apocalypsi licet septem ecclesiis scribat, tamen omnibus dicit. Verum ad Philemonem una et ad Titum una et ad Timotheum duae pro affectu et dilectione, in honore tamen Ecclesiae catholicae, in ordinatione ecclesiasticae
5 disciplinae sanctificatae sunt. Fertur etiam ad Laodicenses, alia ad Alexandrinos Pauli nomine finctae ad haeresem Marcionis et alia plura, quae in catholicam Ecclesiam recipi non potest; fel enim cum melle misceri non con-
6 gruit. Epistula sane Iudae et superscripti Iohannis duae in catholica habentur et Sapientia ab amicis Solomonis in honorem ipsius

(1) Forte supplendum *non*.

scripta. Apocalypses etiam Iohannis et Pe-
tri tantum recipimus, quam quidam ex nos-
tris legi in Ecclesia nolunt. Pastorem vero
nuperrime temporibus nostris in urbe 7
Roma Hermas conscripsit sedente cathe-
dra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre
eius; et ideo legi eum quidem oportet, se pu-
blicare vero in Ecclesia populo neque inter
prophetas completo numero, neque inter
Apostolos in fine temporum potest.
Arsinoi autem seu Valentini vel Miltiadis
nihil in totum recipimus; qui (1) etiam novum
psalmorum librum Marcioni conscripse-
runt una cum Basilide Asiano Cataphry-
gum constitutore.

S. LIBERIUS 352-366

Concilium Laodicenum c. a. 360 (2)

Canon 59 et 60

Canon 59. Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς καινῆς καὶ παλαιᾶς διαθήκης. 8

Canon 60. Ὅσα δεῖ βιβλία ἀναγινώσκεσθαι παλαιᾶς διαθήκης· α΄ Γένεσις κόσμου, β΄ Ἔξοδος ἐξ Αἰγύπτου, γ΄ Λευιτικόν, δ Ἀριθμοι, ε΄ Δευτερονόμιον, ς΄ Ἰησοῦς Ναυή, ζ΄ κριταί, Ρούθ, η΄ Ἐσθήρ, θ΄ Βασιλειῶν α΄ καὶ β΄, ι΄ Βασιλειῶν γ΄ καὶ δ΄, ια΄ Παρα- 9

Canon 59. Quod non oportet privatos et vulgares aliquos psalmos dici in Ecclesia, nec libros non canonicos, sed solos canonicos Veteris et Novi Testamenti. 8

Canon 60. Haec sunt quae legi oportet ex veteri testamento: 1. Genesis. 2. Exodus, id est, exitus ex Aegypto. 3. Leviticum. 4. Numeri. 5. Deuteronomium. 6. Iesus Nave. 7. Iudices, Ruth. 8. Hester. 9. Regnorum I et II. 10. Regnorum III et IV. 11. Para- 9

(1) Alii *quin.*

(2) Mansi 2, 573 s.

λειπομένων α΄ καὶ β΄, ιβ΄ Ἔσδρας α΄ καὶ β΄, ιγ΄ βίβλος Ψαλμῶν ρν΄, ιδ΄ Παροιμίαι Σολομῶντος, ιε΄ Ἐκκλησιαστής, ις΄ Ἆισμα ἀσμάτων, ιζ΄ Ἰώβ, ιη΄ Δωδεκα προφῆται, ιθ΄ Ἡσαίας, κ΄ Ἱερεμίας καὶ Βαρούχ, Θρῆνοι καὶ Ἐπιστολαί, κα΄ Ἰεζεκιήλ, κβ΄ Δανιήλ.

10 [Τά δὲ τῆς] καινῆς διαθήκης [ταῦτα]· Εὐαγγέλια δ΄ κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην. Πράξεις ἀποστόλων. Ἐπιστολαὶ καθολικαὶ ἑπτά οὕτως· Ἰακώβου α΄, Πέτρου α΄ β΄, Ἰωάννου α΄ β΄ γ΄, Ἰούδα α΄, Ἐπιστολαὶ Παύλου ιδ΄· πρὸς Ῥωμαίους α΄, πρὸς Κορινθίους α΄ β΄, πρὸς Γαλάτας α΄, πρὸς Ἐφεσίους α΄, πρὸς Φιλιππησίους α΄, πρὸς Κολοσσαεῖς α΄, πρὸς Θεσσαλονικεῖς α΄ β΄, πρὸς Ἑβραίους α΄, πρὸς Τιμόθεον α΄ β΄, πρὸς Τίτον α΄, πρὸς Φιλήμονα α΄.

---

lipomenon I et II. 12. Esdrae I et II. 13. Liber psalmorum 150. 14. Proverbia Salomonis. 15. Ecclesiastes. 16. Cantica canticorum. 17. Iob. 18. Duodecim prophetae. 19. Esaias. 20. Ieremias et Baruch, lamentationes et epistolae. 21. Ezechiel. 22. Daniel.

10 Novi autem Testamenti haec: Evangelia quatuor, secundum Matthaeum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem. Actus Apostolorum. Epistolae catholicae septem, videlicet Iacobi una, Petri duae, Ioannis tres, Iudae una. Epistolae Pauli quatuordecim: ad Romanos una, ad Corinthios duae, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duae, ad Hebraeos una, ad Timotheum duae, ad Titum una, ad Philemonem una.

S. SIRICIUS 384-398

Concilium Hipponense (1)

(8 Oct. 393), Canon 36.

11 [*Placuit*] ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque,

(1) Mansi 3, 924.

Duodecim libri prophetarum, Esaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, Tobias, Iudith, Hester, Hesdrae libri duo, Machabaeorum libri duo.

Novi autem Testamenti: Evangeliorum libri quatuor, Actus 12
Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli epistolae tredecim, eiusdem ad Hebraeos una, Petri duae, Ioannis tres, Iacobi una, Iudae una, Apocalypsis Ioannis.

Ita ut de confirmando isto canone transmarina Ecclesia con- 13
sulatur. Liceat etiam legi passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.

Idem canon tribuitur etiam Concilio Carthaginensi quod dicitur ter- 14
tium, a. 397, et repetitus est a Concilio Carthaginensi (canon 29), a. 419 ([1]), cum hoc tamen discrimine, quod loco « Pauli Apostoli epistolae tredecim, ejusdem ad Hebraeos una », dicatur: « epistolae Pauli numero quatuordecim ». In eodem Concilio, post verba « Apocalypsis Joannis », sequens additur conclusio loco praecedentis:

Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro sancto Bonifacio, urbis 15
Romae episcopo, vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a Patribus ita accepimus in Ecclesia legendum.

S. INNOCENTIUS I 401-417

(Ex epistola « Consulenti tibi » ad Exsuperium Episc. Tolosanum, *20 Febr. 405*) ([2]).

... Qui vero libri recipiantur in canone, brevis annexus osten- 16
dit. Haec sunt quae desiderata moneri voce voluisti: Moysi libri quinque, id est, Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii et Iesu Nave, Iudicum unus, Regnorum libri quatuor, simul et Ruth, Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri quinque, Psalterium. Item historiarum, Iob liber unus, Tobi liber unus, Esther unus, Iudith unus, Machabaeorum duo, Esdrae duo, Paralipomenon libri duo. Item Novi Testamenti: Evangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli epistolae quatuordecim, epistolae Ioannis tres, epistolae Petri duae, epistola Iudae, epistola Iacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Ioannis.

([1]) Mansi 3, 891; 4, 430.
([2]) ML 20, 501.

17 Cetera autem, quae vel sub nomine Mathiae sive Iacobi minoris, vel sub nomine Petri et Ioannis, qui a quodam Leucio scripta sunt (vel sub nomine Andreae, quae a Nexocharide et Leonida philosophis) vel sub nomine Thomae, et si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.

S. LEO I 440-461

Epistola 82, ad Marcianum Augustum, *23 Apr. 451* (1)

18 1. . . . Et cum ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati Apostoli et Patres nostri didicerunt atque docuerunt, nunc demum indisciplinatae moventur et impiae quaestiones, quas olim mox ut eas per apta sibi corda diabolus excitavit, per discipulos veritatis Spiritus Sanctus exstinxit.

S. GELASIUS 492-496

Decretum quod dicitur **Gelasii**

sed tribuitur etiam S. Damaso et Hormisdae, Pontificibus (2)

19 Nunc vero de Scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica Ecclesia teneat et quid vitari debeat.

Incipit ordo Veteris Testamenti. Genesis liber unus. Exodus l. I, Leviticus l. I, Numeri l. I, Deuteronomium l. I, Iesu Nave l. I, Iudicum l. I, Ruth l. I, Regum libri IV, Paralipomenon libri II, Psalterium l. I, Salomonis libri III; Proverbia l. I, Ecclesiastes l. I, Cantica Canticorum l. I; item Sapientiae l. I, Ecclesiasticus l. I.

Incipit ordo Prophetarum. Esaiae l. I, Hieremiae l. I, cum uno Baruch, item cum lamentationibus suis, Ezechielis l. I, Danielis l. I, Ioel l. I, Abdiae l. I, Oseae l. I, Amos l. I, Michaeas l. I, Ionae l. I, Nahum l. I, Abbacuc l. I, Sophoniae l. I, Aggaei l. I, Zachariae l. I, Malachiae l. I.

(1) Mansi 6, 113; ML 54, 918.
(2) ML 19, 790 ss.; cf. 59, 157 ss.; Mansi 8, 145 ss.

Item ordo historiarum. Iob. l. I, Tobiae l. I, Iudith l. I, Hester l. I, Esdrae l. I, Machabaeorum libri II.

Item ordo scripturarum Novi Testamenti quas sancta et ca- 20
tholica suscipit Ecclesia. Evangelium secundum Matthaeum l. I, secundum Marcum l. I, secundum Lucam l. I, secundum Ioannem l. I.

Epistolae Pauli numero quatuordecim. Ad Romanos una, ad Corinthios duae, ad Ephesios una, ad Thessalonicenses duae, ad Galatas una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Timotheum duae, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebraeos una.

Item Apocalypsis Ioannis Apostoli l. I. *Actus Apostolorum* l. I.

Item Epistolae Canonicae numero septem. Petri Apostoli epistolae duae, Iacobi Apostoli ep. una, Ioannis Apostoli ep. una, alterius Ioannis presbyteri ep. duae, Iudae Zelotes ep. una.

Antiqua regula fidei,

quae passim « Symbolum Concilii Toletani I » dicitur, saec. V [1]

Canon 8. Si quis dixerit vel crediderit, alterum Deum esse 21
priscae legis, alterum evangeliorum, anathema sit...

Canon 12. Si quis dixerit vel crediderit, alias scripturas prae- 22
ter quas Ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas vel esse venerandas, anathema sit.

Statuta Ecclesiae Antiqua saec. V-VI [2]

De eo qui ordinandus est episcopus dicitur :

Quaerendum etiam ab eo, si novi et veteris testamenti, id est, 23
legis et prophetarum, et apostolorum unum eundemque credat auctorem et Deum.

HONORIUS 625-638

Concilium Toletanum IV 633 [3]

Capitulum 17. Apocalypsim librum multorum Conciliorum 24
auctoritas et synodica sanctorum praesulum Romanorum decreta Ioannis evangelistae esse perscribunt, et inter divinos libros reci-

(1) Mansi 3, 1003 s.
(2) Mansi 3, 950; cf. ML 56, 880.
(3) Mansi 10, 624.

piendum constituerunt, et quamplurimi sunt qui ejus auctoritatem non recipiunt atque in Ecclesia Dei praedicare contemnunt. Si quis eum deinceps aut non receperit, aut a Pascha usque ad Pentecostem missarum tempore in ecclesia non praedicaverit, excommunicationis sententiam habebit.

LEO IV 847-855

Concilium Meldense, 17 Iunii 847 (1)

25 *Canon 34.* Ut canonum statuta sine praeiudicio ab omnibus custodiantur, et nemo in actionibus vel iudiciis ecclesiasticis, suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. In exponendis etiam vel praedicandis divinis Scripturis, sanctorum catholicorum et probatissimorum Patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillet. Sed et qui in suis monasteriis religiose residere debent, et vocum novitates, et ut innotescant studio proferre satagunt, acerrime ut praesumptores arguantur et comprimantur.

S. LEO IX 1048-1054

Epistola 101 ad Petrum Episcopum Antiochenum, 1053 (2)

26 Credo etiam novi et veteris testamenti, legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem.

INNOCENTIUS III 1198-1216

Professio fidei Durando de Osca et sociis eius praescripta (ex ep. « Eius exemplo » ad archiepiscopum Terraconensem, *18 Decembris 1208*) (3).

27 Novi et Veteris Testamenti unum eumdemque auctorem credimus esse Deum, qui in Trinitate, ut dictum est, permanens, de nihilo cuncta creavit.

(1) Mansi 14, 826.
(2) Mansi 19, 662 s.; ML 143, 772; Jaffé 1², 4297.
(3) ML 215. 1510,

GREGORIUS X 1271-1276

Concilium Lugdunense II, oecumenicum XIV, a. 1274

Professio fidei Michaelis Palaeologi (1)

In Concilio Lugdunensi II Gregorio X oblata

... Πιστεύομεν δὲ τῆς νέας καὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης, τοῦ 28
νόμου καὶ τῶν προφητῶν καὶ ἀποστόλων, ἕνα ἀρχηγὸν εἶναι θεὸν καὶ κύριον παντοδύναμον.

... Credimus etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis, ac 28
Prophetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum Omnipotentem.

IOANNES XXII 1316-1334

Constitutio « Cum inter nonnullos », *13 Nov. 1323* (2)

Cum inter nonnullos viros scholasticos saepe contingat in du- 29
bium revocari, utrum pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum ac Dominum Iesum Christum, eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi etiam, haereticum sit censendum, diversa et adversa etiam sentientibus circa illud: Nos, huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem, cum Scripturae sacrae, quae in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse, ipsamque Scripturam sacram, per quam utique fidei orthodoxae probantur articuli, quoad praemissa fermentum aperte supponat continere mendacii, ac per consequens, quantum in ea est, eius in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam et incertam, deinceps erroneam fore censendam et haereticam, de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto.

(1) Mansi 24, 69.
(2) *Corpus Juris Canonici,* Extrav. Ioann. XXII, tit. 14, c 4.

BENEDICTUS XII 1334-1342

Errores Armenorum (ex libello « Iam dudum » ad Armenos transmisso, a. 1341) (1).

30 114. Item dicunt, quod signum posuit Deus non occidendi Cain, et ita fuit ad litteram, quia secundum eos nullus eum occidit, sed ipse de praecipiti se submisit. Ex quo innuunt Scripturam Genesis quoad hoc esse falsam, quae videtur dicere quod Lamech interfecit Cain.

CLEMENS VI 1342-1352 (2)

De erroribus Armenorum (ex epistola « Super quibusdam » ad Consolatorem, Catholicon Armenorum, *29 Sept. 1351*).

31 Quartodecimo, si credidisti et credis Novum et Vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romanae Ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere.

EUGENIUS IV 1431-1447

Concilium Florentinum, oecum. XVII, 1438-1445

Decretum pro Iaçobitis (3)

(*ex Bulla « Cantate Domino », 4 Febr. 1441*)

32 ... Unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii, profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti

(1) MANSI 25, 1268.

(2) Baronii et Raynaldi Annales ecclesiastici, Lucae 1750, ad a. 1351 n. 3 (t. 25, 529).

(3) MANSI 31 B, 1736. 1738; *Bull. Rom.* ed. Taur. 5, 60. 62.

sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur: Quinque Moysis, id est Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duobus Paralipomenon, Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Hester, Iob, Psalmis David, Parabolis, Ecclesiaste, Canticis Canticorum, Sapientia, Ecclesiastico, Isaia, Ieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele; duodecim prophetis minoribus, id est Osea, Ioele, Amos, Abdia, Iona, Michaea, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggaeo, Zacharia, Malachia; duobus Machabaeorum; quatuor Evangeliis, Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis; quatuordecim epistolis Pauli: ad Romanos, duabus ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duabus ad Thessalonicenses, duabus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri duabus, tribus Ioannis, una Iacobi, una Iudae; Actibus Apostolorum et Apocalypsi Ioannis.

Praeterea Manichaeorum anathematizat insaniam, qui duo 33
prima principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium, et alium Novi Testamenti Deum, alium Veteris esse Deum dixerunt...

Firmiter credit, profitetur et docet, legalia Veteris Testamenti 34
seu Mosaicae Legis, quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino Nostro Iesu Christo adveniente cessasse et Novi Testamenti Sacramenta coepisse...

LEO X 1513-1521

Concilium Provinciale Florentinum 1517-1518

Rubrica de magistris, deque haereticis et Christi fidem scandalizantibus, 1517 (1).

Cap. 6. *Scripturam Sacram non esse aliter interpretandam* 35
quam sacri Doctores interpretati sint, et damnat novarum opinionum assertores.

(1) Mansi 35, 272.

Item ordinavit nullum posse ulterius Scripturam Sanctam scribendo aut praedicando aliter exponere aut interpretari, quam sancti Ecclesiae Doctores hucusque interpretati sunt.

36 Immo omnes interpretes, praedicatores, et quoscumque alios, novas sibi opiniones et communi Sanctorum doctrinae adversas fingentes, etiamsi speciali Scripturarum testimonio utantur, suspectos de haeresi iudicari voluit; et si in ea perstiterint, ut haereticos puniri, nisi positio sua ab Apostolica Sede comprobetur. Qui enim aliter sentire aut docere praesumit, quam sentiat aut doceat Ecclesia, etsi Angelus esset [1], nullatenus audiri debet. Hac enim via diabolus omnes haereses disseminavit.

CLEMENS VII 1523-1534

Concilium Senonense (seu Parisiense) 1527-1528 [2]

(Conclusum 9 Oct. 1528)

Celebratum Lutetiae Parisiorum sub Card. ANTONIO A PRATO *Senonensi archiepiscopo*

Decreta fidei : Decr. IV. *Quod ad Ecclesiam spectet determinare qui libri sint canonici.*

37 Magna profecto fuit semperque futura est Scripturae Sacrae auctoritas : in qua nihil falsum, nihil otiosum esse possit. Cum enim *non humana voluntate allata sit aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sint sancti Dei homines* [3], *omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, et ad erudiendum in iustitia* [4]. At nihilo minus mutilum est et prorsus invalidum sumptum e Scripturis ar-

(1) Cf. Gal. 1, 8.
(2) MANSI 32, 1164 s.
(3) 2 Petr. 1, 21.
(4) 2 Tim. 3, 16.

gumentum, si pro cuiusvis arbitrio, quod adductum fuerit, sacrum aut profanum, canonicum aut apocryphum habeatur, vel quod in canonem admissum receptumque fuerit, indocti et instabiles depravent ad suam ipsorum perditionem... Nullus quidem tam deploratus quondam surrexit haereticus, qui non suum errorem Scriptura tueri conaretur : nulla tam absurda, tam impudens haeresis, quae non sacris utcumque fulciatur eloquiis, sed corruptis, et a genuino sensu depravatis. Imo vero si quis litterae corticem tantum, suo fretus ingenio percurrat, si penitissimos sensus cum ecclesiasticis interpretibus non penetret, vix umquam confutabitur haereticorum versutia.

Obortis igitur de fide dissidiis, frustra saepe Scriptura consu- 38
litur, nisi Ecclesiae certa et infallibilis litem dirimat auctoritas, quae canonicum librum ab apocrypho, catholicum sensum ab haeretico, germanum ab adulterino, discernat. Hac nempe velut internuntia, Patrum et Sacrorum Conciliorum organis, Spiritus Sanctus docet nos omnia et suggerit nobis omnia (1) : sine quorum auspiciis, qui Scripturae Sacrae sensum habere se iactitant, non intelligunt quae loquuntur, neque de quibus affirmant; sed *videntes non vident et audientes non audiunt* (2).

In enumerandis itaque canonicae Scripturae libris, qui prae- 39
scriptum Ecclesiae usum et auctoritatem non sequitur, sacrum Carthaginense Concilium tertium, INNOCENTII (3) et GELASII (4) decreta, et denique definitum a Sanctis Patribus librorum catalogum respuit, aut in exponendis Scripturis non *pascit hoedos* suos *iuxta tabernacula pastorum* (5), sed fodit sibi *cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas* (6) : et spretis orthodoxorum Patrum vestigiis, proprii spiritus iudicium sequitur : is veluti schismaticus et haereseon omnium incentor et fautor a tanta temeritate reprimatur.

Decr. V. *Aliqua esse firmiter credenda, quae non continentur* 40
expresse in Scriptura. Ampla certe Scripturae latitudo, ingens et

(1) Cf. Io. 14, 26.
(2) Mt. 13, 13.
(3) Cf. n. 16 s.
(4) Cf. n. 19 s.
(5) Cant. 1, 7.
(6) Ier. 2, 13.

incomprehensibilis profunditas; perniciosum est tamen eo errore laborare, ut nihil admittendum putetur, quod non e Scriptura depromptum sit: multa quippe a Christo ad posteros per manus Apostolorum ore ad os et familiari colloquio transfusa sunt; quae etsi in Sacra Scriptura expresse contineri non videantur, inconcusse tamen tenenda veniunt. . . .

41 Oportet itaque nos auctoritati patrum consuetudinique maiorum, usque ad tantum tempus per tantam annorum seriem protelatae, etiam non percepta ratione credere, eamque ut antiquitus tradita est iugi observantia ac reverentia custodire. Quam si quis eo praetextu pertinacius reiiciat, quod non legitur in Scripturis Sacris, ut haereticus et schismaticus habeatur.

PAULUS III 1534-1549

Concilium Tridentinum, oecum. XIX, 1546-1563

1. Decretum de canonicis Scripturis (1)

Sessio 4, 8 Aprilis 1546

42 Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur: quod promissum *ante per Prophetas in Scripturis Sanctis* (2), Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari iussit (3): perspiciensque hanc veritatem et disciplinam

(1) *Conc. Trid.* ed. Soc. Goerres. 5, 91; Mansi 33, 22.
(2) Rom. 1, 3. Cfr. Hebr. 1, 1 s.
(3) Cf. Mt. 28, 19; Mc. 16, 15.

contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt: orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur.

Sacrorum vero Librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur.

Sunt vero infrascripti: *Testamenti Veteris:* Quinque Moysis, 43
id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosuae, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetae minores, id est: Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum, primus et secundus.

Testamenti Novi: Quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, 44
Marcum, Lucam et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim epistolae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae; Ioannis Apostoli tres; Iacobi Apostoli una; Iudae Apostoli una, et Apocalypsis Ioannis Apostoli.

Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, 45
prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.

Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa Synodus, post iactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.

2. Decretum de editione et usu Sacrorum Librorum [1]

Sessio 4, 8 Apr. 1546

46 Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.

47 Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur.

48 Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui iam sine modo, hoc est putantes sibi licere, quidquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum, ipsos Sacrae Scripturae libros, et super illis annotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito prelo, et quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent: decernit et statuit, ut posthac Sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere, quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si regulares fuerint, ultra examinationem

[1] *Conc. Trid.* ed. Soc. Goerres. 5, 91 s.; MANSI 33, 22 s.

et probationem huiusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scriptos eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri vel scripti vel impressi authentice appareat; idque totum, hoc est, et probatio et examen, gratis fiat, ut probanda probentur et reprobentur improbanda.

Post haec temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana 49
quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae Sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et praecipit, ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae Sacrae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes huius generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, iuris et arbitrii poenis per Episcopos coerceantur.

3. De instituenda lectione Sacrae Scripturae et liberalium artium (1)

Sessio 5, 17 Iunii 1546, cap. 1 de reform.

Eadem sacrosancta Synodus, piis Summorum Pontificum et 50
probatorum Conciliorum constitutionibus inhaerens easque amplectens et illis adiiciens, ne caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat: statuit et decrevit, quod in illis ecclesiis, in quibus praebenda aut praestimonium seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii eos, qui praebendam aut praestimonium seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius Sacrae Scripturae expositionem et interpretationem

(1) *Conc. Trid.* ed. Soc. Goerres. 5, 241 s.; Mansi 33, 29 s.

per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum, cogant et compellant. De cetero vero praebenda, praestimonium aut stipendium huiusmodi nonnisi personis idoneis et qui per seipsos id munus explicare possint, conferantur. Et aliter facta provisio nulla sit et invalida.

51 In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis exsistentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla praebenda aut praestimonium seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocumque praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii (eiusdem tamen debitis supportatis oneribus), vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa Sacrae Scripturae lectio habeatur. Ita tamen, ut quaecumque aliae lectiones, vel consuetudine vel quavis alia ratione institutae, propter id minime praetermittantur.

52 Ecclesiae vero, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est cleri et populi multitudo, ut theologiae lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui clericos aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa Sacrae Scripturae studia, annuente Deo, transire possint. Ideoque illi magistro grammatices vel alicuius simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur, dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio, vel ex capitulari vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur; vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suae ecclesiae et dioecesi accommodam, ne pia haec, utilis ac fructuosa provisio quovis quaesito colore negligatur.

53 In monasteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio Sacrae Scripturae habeatur. Qua in re si Abbates ne-

gligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis Apostolicae Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, Sacrae Scripturae lectio similiter habeatur, quae lectio a capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus magistris. 54

In gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica et ceterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum principum ac rerum publicarum pietate et caritate ad catholicae fidei defensionem et incrementum, sanaeque doctrinae conservationem et propagationem, instituatur. Et ubi instituta foret, et negligeretur, restituatur. 55

Et ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem sancta Synodus, neminem ad huiusmodi lectionis officium tam publice quam privatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus et scientia examinatus et adprobatus non fuerit. Quod tamen de lectoribus in claustris monachorum non intelligatur. 56

Docentes vero ipsam Sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus, de perceptione fructuum, praebendarum et beneficiorum suorum in absentia, a iure communi concessis, plane gaudeant et fruantur. 57

PIUS IV 1559-1565 (1)

Professio fidei Tridentina

(ex. Bulla « Iniunctum nobis », 13 Nov. 1564)

... Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. 58

(1) MANSI 33, 221.

PIUS VI 1775-1799 (1)

De vaticinio Isaiae in Emmanuelem

(ex Brevi « Divina » quo damnatur liber Io. Laur. Isenbiehl « Novum tentamen in prophetiam de Emmanuele » germanice editum, 20 Sept. 1779).

59 . . . Maxima vero se prodidit catholicorum offensio cum praedicari audierunt propheticum oraculum de divino Emmanuelis ortu ex virgine non ad virgineum Deiparae partum, quem prophetae omnes annuntiaverunt, non ad verum Emmanuelem, Christum Dominum, ullo sensu sive litterali sive typico pertinere: cumque S. Matthaeus insigne istud vaticinium in illo mirabili pietatis sacramento adimpletum expressis verbis testetur, hoc tamen ipsum non ut oraculi adimplementum, sed ut adnotationem meram vel allusionem a sancto evangelista memorari. Qua in re horruerunt piae aures Scripturam simul, et traditionem, qualis perpetuo ex unanimi patrum consensu ad nos pervenit, per summam impudentiam labefactari . . . Nos itaque . . . de apostolicae potestatis plenitudine antedictum librum . . . tamquam continentem doctrinam et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes et haereticas damnamus, ac pro damnato et reprobato in perpetuum haberi volumus atque decernimus.

PIUS IX 1846-1878

1. « Syllabus » seu collectio errorum modernorum *8 Dec. 1864* (2)

60 7. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris

(1) *Bullarii Romani continuatio,* Romae 1835, t. VI, p. 145-146.

(2) *Pii IX Pontificis Maximi Acta,* Pars I, t. 3, 702; *Acta Sanctae Sedis* 3 (1867), 169.

mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

2. Concilium Vaticanum, oecum. XX, 1869-1870

Ex constitutione dogmatica «Dei Filius» de fide catholica [1]

Sessio 3, 24 aprilis 1870

... Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres 61
proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa Sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, immo mythicis commentis accenseri coeperunt...

Cap. 2. De revelatione

... Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis 62
Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Qui quidem V. et N. T. libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpre- 63
tatione Divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem

(1) Pii IX *Acta*, P. I. t. V, 178. 182. 191. 192; *Coll. Lacens.* 7, 249-251. 255; *Acta S. Sedis* 5 (1869) 461. 463 s. 470.

decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari.

2. Canones de revelatione

64 *Canon 4.* Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit: anathema sit.

3. Canones de fide

65 *Canon 4.* Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse nec iis divinam religionis christianae originem rite probari: anathema sit.

LEO XIII 1878-1903

1. Encyclica «Providentissimus», *18 Novembris 1893*, de studiis Scripturae Sacrae (1).

66 Providentissimus Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur

(1) Leonis XIII *Acta* 13, 326-364; *Acta S. Sedis* 26 (1893-94) 269-292.

quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo hominibus revelatae, « ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem » (1). Quae « supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem » continetur tum « in sine scripto traditionibus » tum etiam « in libris scriptis », qui appellantur sacri et canonici, eo quod « Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt » (2). Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia: eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur (3), eamdemque esse oracula et eloquia divina (4), litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas (5). Iam, tanta cum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur, eam quoque partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur excellentiae et utilitatis esse quam maximae.

Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, 67
quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur

(1) *Conc. Vat.,* Sess. 3 cap. 2 *de revelatione.*

(2) *Ib.*

(3) S. Aug., *De civ. Dei* 11, 3.

(4) S. Clem. Rom., *1 Cor* 45; S. Polyc., *Ad Phil.* 7; S. Iren., *Adv. haer.* 2, 28, 2.

(5) S. Io. Chrys., *In Gen.* hom. 2, 2; S. Aug., *In Ps.* 30 sermo 2, 1; S. Greg. M., *Ep.* 4, 31 *ad Theod.*

ulla in parte violari, ab iis, qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur.

68 Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus, quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium Divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant.

69 Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, praeter ipsius praestantiam atque obsequium verbo Dei debitum, praecipua causa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore certissimo Spiritu Sancto: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (1). Tali sane consilio Scripturas a Deo esse datas hominibus, exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum. Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem » (2), ad sacras Litteras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit: nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam; earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit.

70 Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum* (3), ma-

(1) 2 Tim 3, 16 s.
(2) S. AUG., *De util. cred.* 14, 32.
(3) Act 14, 3.

gnam tamen efficacitatem ex divinis traxerunt libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis V. T. fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Ioannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur, epistolis; luculentissime vero ex eius testimonio, qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis, postea diceret confidenter: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo* » (1).

Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes in- 71
telligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint Divinae Litterae, et quo ipsi studio, qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior praedicatio. De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quae in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit HIERONYMUS, « ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi » (2): ab illis nimirum exstat, veluti viva et spirans, imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur. Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio, natura, munera, charismata eius tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa pro ea tamque firma prompta sunt argumenta, idem ut HIERONYMUS verissime edixerit: « Qui Sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiae » (3). Quod si de vitae morumque conformatione et disciplina quaeratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici: plena sanctitatis praescripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia; gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, praemiorum in aeternitatem promissio, denunciatio poenarum.

(1) S. HIER., *Epist.* 53 al. 103 *ad Paulinum* 3. — Cf. Act. 22, 3; 2 Cor 10, 4.

(2) S. HIER., *In Is.*, Prol.

(3) S. HIER., *In Is.*, 54, 12.

72 Atque haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est, quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille, non loquitur *in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa* (1). Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei (2), eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* (3). Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in Sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod AUGUSTINUS pervidit diserteque arguit (4), atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt.

73 Quae omnia SS. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, numquam cessarunt in Divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium (5), vel perennes fontes salutis (6), vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur (7). Apte cadunt illa S. HIERONYMI ad Nepotianum clericum: « Divinas Scripturas saepius lege, immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas... sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit » (8);

(1) Cf. 1 Thess 1, 5.
(2) Cf. Ier 23, 29.
(3) Hebr 4, 12.
(4) S. AUG., *De doctr. christ.* 4, 6, 7.
(5) S. IO. CHRYS., *In Gen.* hom. 21, 2; 60, 3; S. AUG., *De discipl. christ.* 2.
(6) S. ATHAN., *Epist. fest.* 39.
(7) S. AUG., *Sermo* 26, 24; S. AMBR., *In Ps 118* sermo 19, 2.
(8) S. HIER., *Epist.* 52 al. 2 ad Nepotianum.

conventique sententia S. GREGORII MAGNI, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiae descripsit munera: « Necesse est », inquit, « ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant » (1).

Hic tamen libet AUGUSTINUM admonentem inducere: « Verbi 74
Dei inanem esse forinsecus praedicatorem, qui non sit intus auditor », (2) eumque ipsum GREGORIUM sacris concionatoribus praecipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant » (3). Sed hoc iam, ab exemplo et documento Christi, qui *coepit facere et docere* (4), vox apostolica late praemonuerat, non unum allocuta Timotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato: *Attende tibi et doctrinae, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (5). Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris Litteris praesto sunt adiumenta, copiosius in Psalmis celebrata; iis tamen, qui ad divina eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissimas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper eiusdem Spiritus « indigemus adventu » (6), hoc est lumine et gratia eius: quae sane, ut divini Psaltae frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda.

Praeclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiae, quae, 75
« ne caelestis ille Sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret » (7), optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in

(1) S. GREG. M., *Reg. past.* 2, 11 al. 22; *Moral.* 18, 26 al. 14.
(2) S. AUG., *Sermo* 179, 1.
(3) S. GREG. M., *Reg. past.* 3, 24 al. 48.
(4) Cf. Act. 1, 1.
(5) 1 Tim 4, 16.
(6) S. HIER., *In Mich* 1, 10.
(7) *Conc. Trid.*, Sess. 5 cap. 1 de ref.; cf. supra n. 50.

ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam; diebus autem saltem dominicis et festis sollemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit ([1]). Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae Sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis.

76 In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, iuvat commemorare quaemadmodum a religionis christianae initiis, quotquot sanctitate vitae rerumque divinarum scientia floruerunt, ii Sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus CLEMENTEM ROMANUM, IGNATIUM ANTIOCHENUM, POLYCARPUM, tum *Apologetas,* nominatim IUSTINUM et IRENAEUM, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e Divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere. Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus Episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea iure ea sit appellata.

77 Inter *Orientales* principem locum tenet ORIGENES, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui huius disciplinae fines amplificarunt: ita, inter excellentiores tulit Alexandria CLEMENTEM, CYRILLUM; Palaestina EUSEBIUM, CYRILLUM alterum; Cappadocia BASILIUM MAGNUM, utrumque GREGORIUM, NAZIANZENUM et NYSSENUM; Antiochia IOANNEM illum CHRYSOSTOMUM, in quo huius peritia doctrinae cum summa eloquentia certavit.

78 Neque id praeclare minus apud *Occidentales*. In multis, qui se admodum probavere, clara TERTULLIANI et CYPRIANI nomina, HILARII et AMBROSII, LEONIS et GREGORII MAGNORUM; clarissima AUGUSTINI et HIERONYMI: quorum alter mire acutus exstitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea dedu-

(1) *Ib.* 1, 2.

cenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientià magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris Maximi praeconio Ecclesiae est honestatus.

Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, opera praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab ISIDORO HISPALENSI, BEDA, ALCUINO factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut VALAFRIDUS STRABO et ANSELMUS LAUDUNENSIS, aut eorumdem integritati novis curis consulere, ut PETRUS DAMIANUS et LANFRANCUS fecerunt. 79

Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt; in eo genere S. BERNARDUS ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi Divinas Litteras sapiunt. 80

8. Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum*. Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti; cuiusque pondus in re theologica perpensum; definitae librorum partes, argumenta partium; investigata scriptorum proposita; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio: quibus ex rebus nemo unus non videt, quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria; quo etiam nomine THOMAS AQUINAS inter eos habuit palmam. 81

Postquam vero CLEMENS V decessor Noster Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius homines nostri in nativo Bibliorum codice et in exemplari latino elaborare coeperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae Sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi aetatis spatio multiplicata praelo sacra exemplaria, *Vulgata* praecipue, catholicum orbem quasi compleverint: adeo per id ipsum tempus, contra quam Ec- 82

clesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina.

83 Neque praetereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicae bonum provenerit: qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas maiorum opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsecuti saeculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum aetas propemodum rediisse visa est. Nec enim quisquam ignorat, Nobisque est memoratu iucundum, decessores Nostros, a PIO IV ad CLEMENTEM VIII, auctores fuisse ut insignes illae editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatae et Alexandrinae; quae deinde, SIXTI V eiusdemque Clementis iussu et auctoritate, emissae, in communi usu versantur. Per eadem autem tempora, notum est, quum versiones alias Bibliorum antiquas, tum polyglottas Antuerpiensem et Parisiensem, diligentissime esse editas, sincerae investigandae sententiae peraptas; nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iisdem rebus quaestionem, quae non multorum ingenia fecundissime exercuerit: quos inter non pauci, iique studiosiores SS. Patrum, nomen sibi fecere eximium. Neque, ex illa demum aetate, desiderata est nostrorum sollertia, cum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, Sacrasque Litteras contra *rationalismi* commenta, ex philologia et finitimis disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint.

84 Haec omnia qui probe, ut oportet, considerent, dabunt profecto, Ecclesiam, nec ullo unquam providentiae modo defuisse, quo Divinae Scripturae fontes in filios suos salutariter derivaret, atque illud praesidium, in quo divinitus ad eiusdem tutelam decusque locata est, retinuisse perpetuo omnique studiorum ope exornasse, ut nullis externorum hominum incitamentis eguerit, egeat.

85 Iam postulat a Nobis instituti consilii ratio, ut quae his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere.

Scilicet, ut antea cum iis praecipue res fuit, qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis,

Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei, ita nunc est cum Rationalistis, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a Patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam Sacram, omnino ullam negant, nequa alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta: illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam: Evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda.

Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam Divinorum 86
Librorum veritatem putant convelli, tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam *scientiae liberae* obtrudunt: quae tamen adeo incerta ipsimet habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et suppleant. Cum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et praedicent, non desunt ex iis, qui theologi et christiani et evangelici haberi velint, et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem. His addunt sese consiliorum participes adiutoresque e ceteris disciplinis non pauci, quos eadem revelatarum rerum intolerantia ad oppugnationem Bibliorum similiter trahit. Satis autem deplorare non possumus, quam latius in dies acriusque haec oppugnatio geratur. Geritur in eruditos et graves homines, quamquam illi non ita difficulter sibi possunt cavere; at maxime contra indoctorum vulgus omni consilio et arte infensi hostes nituntur. Libris, libellis, diariis exitiale virus infundunt; id concionibus, id sermonibus insinuant; omnia iam pervasere, et multas tenent, abstractas ab Ecclesiae tutela, adolescentium scholas, ubi credulas mollesque mentes ad contemptionem Scripturae, per ludibrium etiam et scurriles iocos, depravant misere.

Ista sunt, Venerabiles Fratres, quae commune pastorale stu- 87
dium permoveant, incendant; ita ut huic novae *falsi nominis scientiae* [1] antiqua illa et vera opponatur, quam a Christo per Apo-

[1] Cf. 1 Tim 6, 20.

stolos accepit Ecclesia, atque in dimicatione tanta idonei defensores Scripturae Sacrae exsurgant.

88 Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur Divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causa, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti: ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excepturi. Iuverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimae spei, theologiae spatium laudate emensis, nonnullos Divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cuiusdam studii aliquamdiu facultate. Ita delecti institutique doctores, commissum munus adeant fidenter: in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placet.

89 Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant, ut iudicium in eis, aptum pariter Libris Divinis tuendis atque arripiendae ex ipsis sententiae, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus *de introductione,* ut loquuntur, *biblica,* ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda. Quae quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adiutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, quum tota continenter tractatio Scripturae reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescat.

90 Exinde in fructuosiorem huius doctrinae partem, quae de interpretatione est, perstudiose incumbet praeceptoris opera; unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias in profectum religionis et pietatis convertant. Intelligimus equidem, enarrari in scholis Scripturas omnes, nec per amplitudinem rei, nec per tempus licere. Verumtamen, quoniam certa opus est via interpretationis utiliter expediendae, utrumque magister prudens devitet incommodum, vel eorum qui de singulis libris cursim delibandum praebent, vel eorum qui in certa unius parte immoderatius consistunt. Si enim in plerisque scholis adeo non poterit obtineri, quod in Academiis maioribus, ut unus aut alter liber continuatione qua-

dam et ubertate exponatur, at magnopere efficiendum est, ut librorum partes ad interpretandum selectae tractationem habeant convenienter plenam: quo veluti specimine allecti discipuli et edocti, cetera ipsi perlegant adamentque in omni vita.

Is porro, retinens instituta maiorum, exemplar in hoc su- 91
met versionem vulgatam; quam Concilium Tridentinum « in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica » habendam decrevit, (1) atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio praecedentis linguae », suasore AUGUSTINO, proficiet. (2) Iamvero per se liquet, quam multum navitatis ad haec adhiberi oporteat, quum demum sit « commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretetur, exponere ». (3)

15. Post expensam, ubi opus sit, omni industria lectionem, 92
tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae. Primum autem consilium est, ut probata communiter interpretandi praescripta tanto experrectiore observentur cura, quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur: cauto tamen, ne istiusmodi quaestionibus plus temporis tribuatur et operae quam pernoscendis Divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam adiumenti.

Ex hoc tutus erit gradus ad usum Divinae Scripturae in 93
re theologica. Quo in genere animadvertisse oportet, ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis antiquorum libris intelligendis fere occurrunt, proprias aliquas in Libris Sacris accedere. Eorum enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur, quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnun-

(1) Sess. 4 decr. *de edit. et usu Libr. Sacr.*: v. supra n. 46.

(2) S. AUG., *De doctr. christ.* 3, 4.

(3) S. HIER., *Epist.* 48 al, 50 ad Pammachium 17.

quam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videantur: alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit. Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate Sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit (1): Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio SS. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam Sanctus docuit IRENAEUS: (2) cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari (3).

94 Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coercet, sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem Divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab

(1) S. HIER., *Epist.* 53 al. 103 ad Paulinum 4.

(2) S. IREN., *Adv. haer.* 4, 26, 5.

(3) *Conc. Vat.*, Sess. 3 cap. 2 *de revel.* ex *Conc. Trid.*, Sess. 4 decr. *de edit. et usu Libr. Sacr.*; v. supra n. 47, 63.

adversariis. Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacrós auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis N. T., aut per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu « sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio » ([1]), eâdem ipse ratione interpretetur; atque ex adiumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae hermeneuticae leges, posse recte probari. In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda: nam, cum et Sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur.

Huius igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat 95
oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit SS. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum. Id sane inculcat HIERONYMUS ([2]), multumque AUGUSTINUS, qui iusta cum querela « Si unaquaeque disciplina », inquit, « quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere! » ([3]). Id ipsum sensere et exemplo confirmavere ceteri Patres, qui « Divinarum Scripturarum intelligentiam, non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat ([4]).

Iamvero SS. Patrum, quibus « post Apostolos, sancta Ec- 96
clesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit » ([5]), summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum

([1]) *Conc. Vat.*, Sess. 3 cap. 3 *de fide.*
([2]) S. HIER., *Epist.* 53 al. 103, 6 ss.
([3]) S. AUG., *De util. cred.* 17, 35.
([4]) RUFINUS, *Hist. eccl.* 2. 9.
([5]) S. AUG., *C. Iulian.* 2, 10, 37.

esse nitide eminet. Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, cum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu.

97 Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab AUGUSTINO sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere: (1) quae praeceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem, ne illa negligat, quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime cum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti.

98 Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis (2), incorruptum Sacrarum Litterarum sensum

(1) S. AUG., *De Gen. ad litt.* 8, 7, 13.

(2) Cf. CLEM. AL., *Strom.* 7, 16; ORIG., *De princ.* 4, 8; *In Lev.* hom. 4, 8; TERTULL., *De praescr.* 15 s.; S. HILAR., *In Mt.* 13, 1.

extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui verae fidei expertes, Scripturae, non medullam attingunt, sed corticem rodunt ([1]).

Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eius- 99
dem Divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima: ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt. Nam quae obiectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, ex Divinis potissime Litteris studuerunt asserere et stabilire; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquirere. Neque id cuiquam fuerit mirum, qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes Divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est iuvenes in academiis et scholis ita praecipue exerceri, ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta: « Non enim accipit (theologia) sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis ». Quae sacrae doctrinae tradendae ratio praeceptorem commendatoremque habet theologorum principem, Aquinatem ([2]): qui praeterea, ex hac bene perspecta christianae theologiae indole, docuit quemadmodum possit theologus sua ipsa principia, si qui ea forte impugnent, tueri: « Argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates Sacrae Scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem » ([3]).

Providendum igitur, ut ad studia biblica convenienter in- 100
structi munitique aggrediantur iuvenes; ne iustam frustrentur spem,

([1]) S. Greg. M., *Moral.* 20, 9 al. 11.
([2]) S. Thom., *S. th.* 1 q. 1 a. 5 ad 2.
([3]) *Ib.* a. 8.

neu, quod deterius est, erroris discrimen incaute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparataeque specie eruditionis. Erunt autem optime comparati, si, qua Nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, philosophiae et theologiae institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent, quum in re biblica, tum in ea theologiae parte, quam *positivam* nominant, in utraque laetissime progressuri.

101 Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrorum Bibliorum interpretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est: altera tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur. Quod quidem nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiae, quae « per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile » ([1]). Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in auctoritate etiam Sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est: quibus ex libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur.

102 Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti praecipue *armatura Dei,* quam suadet Apostolus ([2]), neque vero ad nova hostium arma et proelia insueti. Quod pulchre in sacerdotum officiis sic recenset CHRYSOSTOMUS: « Ingens adhibendum est studium ut *Christi verbum habitet in nobis abundanter* ([3]): neque enim ad unum pugnae genus parati esse debemus, sed multiplex est bellum et varii sunt hostes; neque iisdem omnes utuntur armis, neque uno tantum modo nobiscum congredi moliuntur. Quare opus est, ut is, qui cum omnibus congressurus est, omnium machinas artesque cognitas habeat, ut idem sit sagittarius et funditor, tribunus et ma-

([1]) *Conc. Vat.,* Sess. 3 cap. 3 *de fide.*
([2]) Cf. Eph 6, 13-17.
([3]) Cf. Col. 3, 16.

nipuli ductor, dux et miles, pedes et eques, navalis ac muralis pugnae peritus: nisi enim omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam partem, si sola negligatur, praedonibus suis immissis, oves diripere » ([1]). Fallacias hostium artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus: iam, quibus praesidiis ad defensionem nitendum, commoneamus.

Est primum in studio linguarum veterum orientalium si- 103
mulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, ea clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum; nam ipse *omnia omnibus* fieri debet ([2]), paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in ipso est spe* ([3]). Ergo Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis, quod iam in multis receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui, qui ad Sacras Litteras profitendas designantur.

Hos autem ipsos, eiusdem rei gratia, doctiores esse oportet 104
atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina: perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est, ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant: illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur: inde

([1]) S. Io. Chrys. *De sacerd.* 4, 4.
([2]) Cf. 1 Cor 9, 22.
([3]) Cf. 1 Petr. 3, 15.

neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae: inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae ordinem superent, ex Sacris Libris dimovere non verebuntur.

105 Congrediendum secundo loco cum iis, qui sua physicorum scientia abusi, Sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quae quidem insimulationes quum res attingant sensibus obiectas, eo periculosiores accidunt, manantes in vulgus, maxime in deditam litteris iuventutem; quae, semel reverentiam divinae revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem eius fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura doctrinam, quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse ad elementa sanae philosophiae evellenda corrumpendosque mores, teneris animis perverse infusam. Quapropter Scripturae Sacrae doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones in Divinos Libros instructas facilius detegat et refellat.

106 Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant » [1]. Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata: « Quidquid », inquit, « ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, idest catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum » [2]. De cuius aequitate regulae in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profu-

(1) S. Aug., *In Gen. op. imperf.* 9, 30.
(2) S. Aug., *De Gen. ad litt.* 1, 21, 41.

tura » (1); quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter apparent » (2), seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more.

Quod vero defensio Scripturae Sanctae agenda strenue est, 107
non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari sicut et nobis », ut est S. Thomae (3) sententia. Qui et alio loco prudentissime habet: « Mihi videtur tutius esse, huiusmodi, quae philosophi communiter senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur » (4). Sane, quamquam ea quae speculatores naturae certis argumentis certa iam affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas.

Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam 108
praesertim, iuvabit transferri. Dolendum enim, multos esse, qui

(1) S. Aug. *ib.* 2, 9, 20.
(2) S. Thom., *S. th.* 1 q. 70 a. 1 ad 3.
(3) S. Thom., *In 2 Sent.* d. 2 q. 1 a. 3.
(4) S. Thom., Opusc. 10.

antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in Sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae Sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem.

109 Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum: fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps; cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae: at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse.

110 Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum: « Veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii (Tridentini) decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spi-

ritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem » (1). Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae.

Hoc ratum semper habuere SS. Patres: « Itaque », ait AU- 111
GUSTINUS, « cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt » (2): pronuntiatque S. GREGORIUS M.: « Quis haec scripserit, valde supervacanee quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit » (3). Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum Sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem.

Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum 112
fuit, Divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe, quae idem AUGUSTINUS ad HIERONYMUM scripsit: « Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel

(1) *Conc. Vat.* Sess. 3 cap. 2 *de revel.*; v. supra n. 62.

(2) S. AUG., *De cons. Evang.* 1, 35.

(3) S. GREG. M., *Moral. in l. Iob* praef. 1, 2.

interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam » ([1]).

113 At vero omni graviorum artium instrumento prò sanctitate Bibliorum plene perfecteque contendere, multo id maius est, quam ut a sola interpretum et theologorum sollertia aequum sit exspectari. Eodem optandum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio, Ecclesiae deest; atque utinam eo amplius in fidei subsidium augescat. Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios; neque res ulla est quae magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liberrime profiteantur, qui in laudata aliqua praestent facultate. Quin facile etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter iam traducere illi audebunt inimicam scientiae, fidem, cum viderint a viris scientiae laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhiberi.

114 Quoniam igitur tantum ii possunt religioni importare commodi, quibus cum catholicae professionis gratia felicem indolem ingenii benignum Numen impertiit, ideo in hac acerrima agitatione studiorum, quae Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus, in quo aliquando excellentes, obiecta in illas improbae scientiae tela, non sine gloria repellant.

115 Quo loco gratum est illud pro merito comprobare nonnullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possit, unde huiusmodi studia omni adiumentorum copia pertractent et provehant, coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et peropportuna temporibus pecuniae collocandae ratio. Quo enim catholicis minus praesidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusioremque patere decet privatorum liberalitatem; ut quibus a Deo aucti sunt divitiis, eas ad tutandum revelatae ipsius doctrinae thesaurum velint convertere.

116 Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis, quae supra a Nobis praefinita sunt; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem: nihil prop-

([1]) S. Aug., *Epist.* 82, 1 et crebrius alibi.

terea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theologorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturae locus, de quo disceptetur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum resideat; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse: neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere: item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies; sed « veritas manet et invalescit in aeternum » ([1]). Quare, sicut nemo sibi arrogaverit, ut omnem recte intelligat Scripturam, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est AUGUSTINUS ([2]), ita, si quid inciderit difficilius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem temporationemque eiusdem Doctoris: « Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam, inutiliter ea interpretando, a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere » ([3]).

Consilia et iussa Nostra si probe verecundeque erunt secuti, 117
qui subsidiaria haec studia profitentur, si et scribendo et docendo studiorum fructus dirigant ad hostes veritatis redarguendos, ad fidei damna in iuventute praecavenda, tum demum laetari poterunt dignâ se operâ Sacris Litteris inservire, eamque rei catholicae opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis iure sibi Ecclesia pollicetur.

Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae de studiis Scripturae 118
Sacrae pro opportunitate monenda et praecipienda, adspirante Deo, censuimus. Iam sit vestrum curare, ut qua par est religione custodiantur et observentur: sic ut debita Deo gratia, de communicatis humano generi eloquiis sapientiae suae, testatius eniteat optataeque utilitates redundent, maxime ad sacrae iuventutis institutionem, quae tanta est cura Nostra et spes Ecclesiae. Auctoritate nimirum et

([1]) 3 Esdr. 4, 38.
([2]) S. AUG., *Epist.* 55 *ad Ianuar.* 21.
([3]) S. AUG., *De doctr. christ.* 3, 9, 18.

hortatione date alacres operam, ut in Seminariis, atque in Academiis quae parent ditioni vestrae, haec studia iusto in honore consistant vigeantque. Integre feliciterque vigeant, moderatrice Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla SS. Patrum laudatamque maiorum consuetudinem: atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant, quae vere sint in praesidium et gloriam catholicae veritatis, natae divinitus ad perennem populorum salutem.

119 Omnes denique alumnos et administros Ecclesiae paterna caritate admonemus, ut ad Sacras Litteras adeant summo semper affectu reverentiae et pietatis: nequaquam enim ipsarum intelligentia salutariter, ut opus est, patere potest, nisi remotâ scientiae *terrenae* arrogantiâ, studioque sancte excitato eius *quae desursum est* sapientiae ([1]). Cuius in disciplinam semel admissa mens, atque inde illustrata et roborata, mire valebit ut etiam humanae scientiae quae sunt fraudes dignoscat et vitet, qui sunt solidi fructus percipiat et ad aeterna referat: inde potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amoris spiritu vehementiore contendet: *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum* ([2]).

Iam divini auxilii spe freti et pastorali studio vestro confisi, Apostolicam Benedictionem, caelestium munerum auspicem Nostraeque singularis benevolentiae testem, vobis omnibus, universoque Clero et populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 18 Novembris anno 1893, Pontificatus Nostri anno 16.

LEO PP. XIII.

2. Suprema Congregatio Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis:

Decretum de authentia textus I Io. 5, 7, *13 Ian. 1897* ([3]).

120 *Feria IV, die 13 Ian. 1897. In Congregatione Generali S. R. et U. I. habita coram Emis ac Revmis DD. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito dubio:*

« Utrum tuto negari, aut saltem in dubium revocari possit esse authenticum textum S. Ioannis, in epistola prima cap. 5 vers. 7,

([1]) Cf. Iac. 3, 15-17.
([2]) Ps. 18, 2.
([3]) *Acta S. Sedis* 29 (1896-97) 637.

qui sic se habet: « Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt » ?

Omnibus diligentissimo examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem Emi Cardinales respondendum mandarunt: « Negative ».

Feria vero VI, die 15 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de suprascriptis accurata relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbavit et confirmavit. — I. Can. MANCINI, *S. R. et U. I. Notarius.*

Declaratio ab eadem Suprema Sacra Congregatione inde ab 121
initio privatim data ac postea pluries repetita, quae nunc ipsius auctoritate publici iuris fit :

« Decretum hoc latum est, ut coerceretur audacia privatorum doctorum ius sibi tribuentium authentiam commatis Ioannei aut penitus reiciendi aut ultimo iudicio saltem in dubium vocandi. Minime vero impedire voluit, quominus scriptores catholici rem plenius investigarent atque, argumentis hinc inde accurate perpensis, cum ea, quam rei gravitas requirit, moderatione et temperantia, in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur se paratos esse stare iudicio Ecclesiae, cui a Iesu Christo munus demandatum est Sacras Litteras non solum interpretandi, sed etiam fideliter custodiendi ».

Feria V, die 2 Iunii 1927. — ALOISIUS CASTELLANO, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

3. Ex Constitutione « Officiorum ac munerum ». Decreta Generalia de prohibitione et censura librorum, *25 Ianuarii 1897* (1)

Tit. I, cap. 2. *De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catho- 122
licarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

(1) LEONIS XIII *Acta* 17, 24-26; *Acta S. Sedis* 30 (1897-98) 44-46.

123 6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum, sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

Cap. 3. *De versionibus vernaculis Sacrae Scripturae*

124 7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

125 8. Interdicuntur versiones omnes sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis Libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

Cap. 5. *De quibusdam specialis argumenti libris*

126 11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

4. Ex epistola «Nostra erga», ad Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum, *25 Novembris 1898* (1)

127 ... Dein nihil esse vides, quod fidei christianae tam vehementer intersit, quam explanari probe ac fideliter, ut oportet, conscripta divino Spiritu afflante volumina. Habenda ratio et diligen-

(1) Leonis XIII *Acta* 18, 188 s.; Acta S. Sedis 31 (1898-99) 264 s.

tia est in re tanti momenti, ne quid, non modo superbia, sed ne levitate quidem animi imprudentiave peccetur: in primisque ne plus aequo tribuatur sententiis quibusdam novis, quas metuere satius est, non quia novae sunt, sed quia plerumque fallunt specie quadam et simulatione veri. Adamari hac illac coeptum est, vel a quibus minime debuerat, genus interpretandi audax atque immodice liberum: interdum favetur etiam interpretibus catholico nomini alienis, quorum intemperantia ingenii non tam declarantur Sacrae Litterae, quam corrumpuntur. Cuiusmodi incommoda in malum aliquod opinione maius evasura sunt, nisi celeriter occurratur.

Omnino postulant *eloquia Dei* a cultoribus suis iudicium sanum 128
ac prudens: quod nullo modo poterit esse tale, nisi adiunctam habeat verecundiam modestiamque animi debitam. Id intelligant ac serio considerent, quicumque pertractant Divinos Libros: iidemque meminerint, utique habere se quod in his studiis tuto sequantur, si modo audiant Ecclesiam, ut debent. Nec silebimus, Nos ipsos per Litteras *Providentissimus Deus,* quid hac de re sentiat, quid velit Ecclesia, deditâ operâ docuisse. Praecepta vero et documenta Pontificis Maximi negligere, catholico homini licet nemini.

Cum notitia rectaque intelligentia Scripturarum magnopere coniunctum illud est, versari sancte et utiliter *in ministerio verbi...*

5. Ex epistola encyclica «Depuis le jour», ad Episcopos et Clerum Galliae, *8 Septembris 1899* (1)

... Au sujet de l'étude des Saintes Ecritures, Nous appelons 129
de nouveau votre attention, Vénérables Frères, sur les enseignements que Nous avons donnés dans Notre Encyclique *Providentissimus Deus,* dont Nous désirons que les Professeurs donnent connaissance à leurs disciples, en y ajoutant les explications nécessaires. Ils les mettront spécialement en garde contre des tendances inquiétantes qui cherchent à s'introduire dans l'interprétation de la Bible, et qui, si elles venaient à prévaloir, ne tarderaient pas à en ruiner l'inspiration et le caractère surnaturel. Sous le spécieux prétexte d'enlever aux adversaires de la parole révélée l'usage d'arguments qui semblaient irréfutables contre l'authenticité et la véracité des Livres Saints, des écrivains catholiques ont cru

(1) Leonis XIII *Acta* 19, 171 s.; Acta S. Sedis 32 (1899-1900) 202.

très habile de prendre ces arguments à leur compte. En vertu de cette étrange et périlleuse tactique, ils ont travaillé, de leurs propres mains, à faire des brèches dans les murailles de la cité qu'ils avaient mission de défendre. Dans Notre Encyclique précitée, ainsi que dans un autre document (1), Nous avons fait justice de ces dangereuses témérités. Tout en encourageant nos exégètes à se tenir au courant des progrès de la critique, Nous avons fermement maintenu les principes sanctionnés en cette matière par l'autorité traditionnelle des Pères et des Conciles, et renouvelés de nos jours par le Concile du Vatican...

6. Litterae Apostolicae « Vigilantiae », *30 Octobris 1902,* **quibus Consilium instituitur studiis Sacrae Scripturae provehendis** (2).

130 Vigilantiae studiique memores, quo *depositum fidei* Nos quidem longe ante alios sartum tectumque praestare pro officio debemus, Litteras Encyclicas *Providentissimus Deus* anno 1893 dedimus, quibus complura de studiis Scripturae Sacrae data opera complectebamur. Postulabat enim excellens rei magnitudo atque utilitas, ut istarum disciplinarum rationibus optime, quoad esset in potestate Nostra, consuleremus, praesertim cum horum temporum eruditio progrediens quaestionibus quotidie novis, aliquandoque etiam temerariis, aditum ianuamque patefaciat. Itaque universitatem catholicorum, maxime qui sacri essent ordinis, commonefecimus, quae cuiusque pro facultate sua partes in hac causa forent; accurateque persecuti sumus, qua ratione et via haec ipsa studia provehi congruenter temporibus oporteret. Neque in irritum huiusmodi documenta Nostra cecidere. Iucunda memoratu sunt, quae subinde sacrorum Antistites aliique praestantes doctrina viri magno numero obsequii sui testimonia deferre ad Nos maturaverint, cum et earum rerum quas perscripseramus, opportunitatem gravitatemque efferrent, et diligenter se mandata effecturos confirmarent. Nec minus grate ea recordamur, quae in hoc genere catholici homines re deinceps praestitere, excitata passim horum studiorum alacritate.

131 Verumtamen insidere vel potius ingravescere causas videmus easdem, quamobrem eas Nos Litteras dandas censuimus. Necesse

(1) Ad calcem additur: « Genus interpretandi audax atque immodice liberum » (Lettre au Ministre Général des Frères Mineurs, 25 Nov. 1898). V. n. 127.

(2) Leonis XIII *Acta* 22, 232-238; *Acta S. Sedis* 35 (1902-03) 234-238.

est igitur illa ipsa iam impensius urgeri praescripta: id quod Venerabilium Fratrum Episcoporum diligentiae etiam atque etiam volumus commendatum.

Sed quo facilius uberiusque res e sententia eveniat, novum 132
quoddam auctoritatis Nostrae subsidium nunc addere decrevimus. Etenim cum Divinos hodie explicare tuerique Libros, ut oportet, in tanta scientiae varietate tamque multiplici errorum forma, maius quiddam sit, quam ut id catholici interpretes recte efficere usquequaque possint singuli, expedit communia ipsorum adiuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis Apostolicae. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiae genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de causis placet, certum quoddam Consilium, sive, uti loquuntur, *Commissionem* gravium virorum institui: qui eam sibi habeant provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate. Huius Consilii praecipuam sedem esse addecet Romae, sub ipsis oculis Pontificis Maximi: ut quae Urbs magistra et cústos est christianae sapientiae, ex eadem in universum christianae reipublicae corpus sana et incorrupta huius quoque tam necessariae doctrinae praeceptio influat. Viri autem, ex quibus id Consilium coalescet, ut suo muneri, gravi in primis et honestissimo, cumulate satisfaciant, haec proprie habebunt suae navitati proposita.

Primum omnium probe perspecto, qui sint in his disciplinis 133
hodie ingeniorum cursus, nihil ducant instituto suo alienum, quod recentiorum industria repererit novi: quin immo excubent animo, si quid dies afferat utile in exegesim biblicam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant. Quamobrem ii multum operae in excolenda philologia doctrinisque finitimis, earumque persequendis progressionibus collocent. Cum enim inde fere consueverit Scripturarum oppugnatio exsistere, inde etiam nobis quaerenda sunt arma, ne veritatis impar sit cum errore concertatio. — Similiter danda est opera, ut minori in pretio ne sit apud nos, quam apud externos, linguarum veterum orientalium scientia, aut codicum maxime primigeniorum peritia: magna enim in his studiis est utriusque opportunitas facultatis.

134 Deinde quod spectat ad Scripturarum auctoritatem integre asserendam, in eo quidem acrem curam diligentiamque adhibeant. Idque praesertim laborandum ipsis est, ut nequando inter catholicos invalescat illa sentiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturae intelligentia ab externae eruditionis apparatu sit in primis quaerenda. Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse; « in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, eum pro vero sensu Sacrae Scripturae habendum esse, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari » [1]: eam esse Divinorum naturam Librorum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneuticae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia; demum legitimum Divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint.

135 Ergo viris qui de Consilio fuerint, curandum sedulo, ut horum diligentior sit quotidie custodia principiorum: adducanturque persuadendo, si qui forte heterodoxos admirantur praeter modum, ut magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adiumenti: sed cautione opus ac delectu est. Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbibant: siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus.

136 Tertio loco, in eam studiorum horum partem, quae proprie

(1) *Conc. Vat.* sessio 3 cap. 2 *de revel.;* v. supra n. 63.

est de exponendis Scripturis, cum latissime fidelium utilitati pateat, singulares quasdam curas Consilium insumat. Ac de iis quidem testimoniis, quorum sensus aut per sacros auctores aut per Ecclesiam authentice declaratus sit, vix attinet dicere, convincendum esse, eam interpretationem solam ad sanae hermeneuticae leges posse probari. Sunt autem non pauca, de quibus cum nulla exstiterit adhuc certa et definita expositio Ecclesiae, liceat privatis doctoribus eam, quam quisque probarit, sequi tuerique sententiam: quibus tamen in locis cognitum est analogiam fidei catholicamque doctrinam servari tamquam normam oportere. Iamvero in hoc genere magnopere providendum est, ut ne acrior disputandi contentio transgrediatur mutuae caritatis terminos; neve inter disputandum ipsae revelatae veritates divinaeque traditiones vocari in disceptationem videantur. Nisi enim salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis, non licebit ex variis multorum studiis magnos exspectare huius disciplinae progressus.

Quare hoc etiam in mandatis Consilio sit, praecipuas inter 137
doctores catholicos rite et pro dignitate moderari quaestiones; ad easque finiendas qua lumen iudicii sui, qua pondus auctoritatis afferre. Atque hinc illud etiam consequetur commodi, ut maturitas offeratur Apostolicae Sedi declarandi, quid a catholicis inviolate tenendum, quid investigationi altiori reservandum, quid singulorum iudicio relinquendum sit.

Quod igitur christianae veritati conservandae bene vertat, stu- 138
diis Scripturae Sanctae promovendis ad eas leges, quae supra statutae sunt, Consilium sive *Commissionem* in hac alma Urbe per has Litteras instituimus. Id autem Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, auctoritate Nostra deligendis: iisque in communionem studiorum laborumque mens est adiungere cum Consultorum officio ac nomine, ut in sacris urbanis Consiliis mos est, claros nonnullos, alios ex alia gente, viros, quorum a doctrina sacra, praesertim biblica, sit commendatio. Consilii autem erit et statis conventibus habendis, et scriptis vel in dies certos vel pro re nata vulgandis, et si rogatum sententiam fuerit, respondendo consulentibus, denique omnibus modis, horum studiorum, quae dicta sunt, tuitioni et incremento prodesse. Quaecumque vero res consultae communiter fuerint, de iis rebus referri ad Summum Pontificem volumus; per illum autem ex Consultoribus referri, cui Pontifex ut sit ab actis Consilii mandaverit.

139 Atque ut communibus iuvandis laboribus supellex opportuna suppetat, iam nunc certam Bibliothecae Nostrae Vaticanae ei rei addicimus partem; ibique digerendam mox curabimus codicum voluminumque de re biblica collectam ex omni aetate copiam, quae Consilii viris in promptu sit. In quorum instructum ornatumque praesidiorum valde optandum est locupletiores catholici Nobis suppetias veniant vel utilibus mittendis libris; atque ita peropportuno genere officii Deo, Scripturarum Auctori, itemque Ecclesiae navare operam velint.

140 Ceterum confidimus fore, ut his coeptis Nostris, utpote quae christianae fidei incolumitatem sempiternamque animarum salutem recta spectent, divina benignitas abunde faveat; eiusque munere, Apostolicae Sedis in hac re praescriptionibus catholici, qui Sacris Litteris sunt dediti, cum absoluto numeris omnibus obsequio respondeant.

141 Quae vero in hac causa statuere ac decernere visum est, ea omnia et singula uti statuta et decreta sunt, ita rata et firma esse ac manere volumus et iubemus; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 30 Octobris anno 1902, Pontificatus Nostri anno 25.

A. Card. Macchi

L. ✠ S.

PIUS X 1903-1914

1. Litterae Apostolicae « Scripturae Sanctae », *23 Februarii 1904*, de academicis in Sacra Scriptura gradibus a Commissione Biblica conferendis (1)

142 Scripturae Sanctae magis magisque in Clero promovere studium, conscientia Nos Apostolici officii in primis admonet hoc tempore, quum eum maxime divinae revelationis fideique fontem videmus ab intemperantia humanae rationis passim in discrimen adduci. Id ipsum quum intelligeret Noster fel. rec. decessor Leo XIII,

(1) Pii X *Acta* 1, 176-179; *Acta S. Sedis* 36 (1903-04) 530-532.

non satis habuit dedisse anno 1893 proprias de re biblica Encyclicas Litteras *Providentissimus Deus;* nam paucis ante exitum mensibus, editis Apostolicis Litteris *Vigilantiae*, peculiare instituit ex aliquot S. R. E. Cardinalibus pluribusque aliis doctis viris urbanum Consilium, quod, praelucente doctrina et traditione Ecclesiae, etiam progredientis eruditionis praesidia conferret ad legitimam exegesim biblicam, et simul catholicis praesto esset, tum ad adiuvanda ac dirigenda eorum in hoc genere studia, tum ad controversias, si quae inter ipsos exstitissent, dirimendas.

Nos quidem, ut par est, praeclarum istud pontificalis provi- 143
dentiae monumentum a Decessore relictum, Nostris quoque curis et auctoritate complectimur. Quin etiam iam nunc, eiusdem Consilii seu Commissionis navitate confisi, ipsius operam in negotio, quod magni censemus esse momenti ad Scripturarum provehendum cultum, adhibere constituimus. Siquidem hoc volumus, certam suppeditare rationem, unde bona paretur copia magistrorum, qui gravitate et sinceritate doctrinae commendati, in scholis catholicis Divinos interpretentur Libros. Huius rei gratia percommodum profecto esset, quod etiam in votis Leonis fuisse novimus, proprium quoddam in Urbe Roma condere Athenaeum, altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicae ornatum, quo delecti undique adolescentes convenirent, scientia divinorum eloquiorum singulares evasuri. At quoniam eius perficiendae rei deest in praesens Nobis, non secus ac Decessori, facultas, quae quidem fore ut aliquando ex catholicorum liberalitate suppetat, spem bonam certamque habemus, interea quantum ratio temporum sinit, id, harum tenore litterarum, exsequi et efficere decrevimus.

Itaque quod bonum salutareque sit, reique catholicae benever- 144
tat, Apostolica auctoritate Nostra, academicos prolytae et doctoris in Sacrae Scripturae disciplina gradus instituimus, a Commissione Biblica conferendos ad eas leges, quae infra scriptae sunt.

I. Nemo ad academicos in Sacra Scriptura gradus assumatur, 145
qui non sit ex alterutro ordine Cleri sacerdos; ac praeterea nisi doctoratus in Sacra Theologia lauream, eamque in aliqua studiorum Universitate aut Athenaeo a Sede Apostolica adprobato, sit adeptus.

II. Candidati ad gradum vel prolytae vel doctoris in Sacra 146
Scriptura, periculum doctrinae tum verbo tum scripto subeant: quibus autem de rebus id periculum faciendum fuerit, Commissio Biblica praestituet.

147 III. Commissionis erit explorandae candidatorum scientiae dare iudices: qui minimum quinque sint, iique ex Consultorum numero. Liceat tamen Commissioni id iudicium, pro prolytatu tantummodo, aliis idoneis viris aliquando delegare.

148 IV. Qui prolytatum in Sacra Scriptura petet, admitti ad periculum faciendum, statim ab accepta Sacrae Theologiae laurea, poterit: qui vero doctoratum, admitti non poterit, nisi elapso post habitum prolytatum anno.

149 V. De doctrina examinanda candidati ad lauream in Sacra Scriptura, hoc nominatim cautum sit, ut candidatus certam thesim, quam ipse delegerit et Commissio Biblica probaverit, scribendo explicet, eamque postea in legitimo conventu Romae habendo recitatam ab impugnationibus censorum defendat.

Haec volumus, edicimus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus.

150 Restat, ut Venerabiles Fratres Episcopi ceterique sacrorum Antistites in suae quisque dioecesis utilitatem ex hisce statutis Nostris eum fructum quaerant, quem inde Nobis uberem pollicemur. Ideo quos in suo Clero viderint singularibus Bibliorum studiis natos aptosque, ad promerenda etiam huius disciplinae insignia hortentur et adiuvent: insignitos porro habeant potiores, quibus in sacro Seminario Scripturarum magisterium committant.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 23 Februarii, festo S. Petri Damiani, anno 1904, Pontificatus Nostri anno 1.

L. ✠ S. A. Card. Macchi

2. S. Congr. Episcoporum et Regularium:

Rescriptum, *19 Aprilis 1904,* **quod Regulares habitualem facultatem obtinere valent assequendi academicos in S. Scriptura gradus.** (1)

151 Il S. Padre, desiderando che i membri del clero regolare, i quali abbiano coltivato gli studi biblici, possano anche essi conseguire i gradi accademici che la Commissione Biblica è autorizzata a conferire in virtù delle lettere Apostoliche di quest'anno, si è benignato disporre che la speciale facoltà di cui abbisognano

(1) *Acta S. Sedis* 37 (1904-05) 24.

gli alunni di Ordini religiosi per conseguire gradi accademici, sia accordata dalla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari per ciò che riguarda gli studi biblici, *in modo abituale,* e non solo per modo di atto nei singoli casi, come determinano gli statuti dei vari Ordini religiosi per le altre classi di gradi accademici.

Nel partecipare alla P. V. tale disposizione Pontificia, Le auguro dal Signore ogni bene.

19 Aprile 1904.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*

L. ✠ S. PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius*

Versio (1)

Sanctitas Sua, cupiens ut alumni quoque cleri regularis, qui 152
studia biblica excoluerint, gradus academicos, quos Commissio Biblica vi Litterarum Apostolicarum volventis anni concedendi facultate pollet, consequi possint, statuere dignata est, ut peculiaris facultas, qua alumni Ordinum religiosorum ad academicos gradus consequendos indigent, a S. C. Episcoporum et Regularium concedatur, quod pertinet ad studia biblica, *per modum habitualem*, non autem per modum actus singulis vicibus, veluti statuta plurium Ordinum religiosorum pro aliis gradibus academicis praescribunt.

3. Pont. Commissionis de Re Biblica:

Responsum I, *13 Februarii 1905,* **circa citationes implicitas in S. Scriptura contentas** (2)

Cum ad normam directivam habendam pro studiosis Sacrae 153
Scripturae proposita fuerit Commissioni Pontificiae de Re Biblica sequens quaestio, videlicet:

Utrum ad enodandas difficultates, quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat Exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel im-

(1) *Acta S. Sedis* l. c. in adnotatione.
(2) *Acta S. Sedis* 37 (1904-05) 666.

plicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?

Praedicta Commissio respondendum censuit:

Negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1° Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem nec probare, nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui.

Die autem 13 Februarii anni 1905 Sanctissimus, referente me infrascripto Consultore ab Actis, praedictum responsum adprobavit atque publici iuris fieri mandavit.

Fr. DAVID FLEMING, O. F. M.
Consultor ab Actis

4. Responsum II, *23 Iunii 1905* **de narrationibus specietenus tantum historicis in S. Scripturae libris, qui pro historicis habentur** (1)

154 *Proposito sequenti dubio Consilium Pontificium pro studiis de Re Biblica provehendis respondendum censuit, prout sequitur:*

Dubium. Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia quae tenet S. Scripturae libros qui pro historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum?

Resp. Negative, excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere.

Die autem 23 Iunii a. c. [1905] in audientia ambobus Reverendissimis Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedictum responsum ratum habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Fr. DAVID FLEMING, O. F. M.
Consultor ab Actis

(1) *Acta S. Sedis* 38 (1905-06) 124 s.

5. Litterae Apostolicae « Quoniam in re biblica », *27 Martii 1906*, **de ratione studiorum Sacrae Scripturae in Seminariis Clericorum servanda** (1)

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum 155
fortasse numquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter: ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante Libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quicquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litteris Encyclicis *Providentissimus* recte Decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur Divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent ».

In eamdem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario impertienda, 156
ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partien- 157
dum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quem- 158
admodum cuiusque Seminarii condicio et facultates ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scriptu- 159
rarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit, omnes Divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus, seu *intro-*

(1) Pii X *Acta* 3, 72-76; *Acta S. Sedis* 39 1906) 77-80.

ductiones in singulos Libros eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in ceteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviores sunt.

160 V. Atque is, ad Testamentum Vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque Hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

161 VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos exempli causa interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

162 VII. Quod vero ad Novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tamquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

163 VIII. Singularem quamdam curam adhibebit in his illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

164 IX. Illud semper, maxime vero in Novi Testamenti expositione meminerit, suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi: eosque ex occasione ad exsequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

165 X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, Hebraeo sermone et Graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. « Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, quibus Libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit, si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus adspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, sint magisteria » (1).

(1) Leo XIII, *Encycl. « Providentissimus »*; v. supra n. 103.

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum, altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archaeologiae vel geographiae vel chronologiae vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit. 166

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacrae Scripturae gradus comparentur: quod quidem ad idoneos Divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit. 167

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, numquam a communi doctrina ac traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur. 168

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Cum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, Veteris Novique Testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet. 169

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint. 170

XVI. Omnibus in Academiis quisque candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus ad introductionem historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit, atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac Hebraei sermonis Graecique biblici scientem. 171

172 XVII. Hortandi erunt Divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant: ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palaestinensibus, ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

173 XVIII. Huius rei gratia, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die 27 Martii anno 1906, Pontificatus Nostri 3.

L. ✠ S. A. Card. MACCHI.

6. Pont. Commissio de Re Biblica:

Responsum III, *27 Iunii 1906*, de Mosaica authentia Pentateuchi (1)

174 *Propositis sequentibus dubiis Consilium Pontificium pro studiis de Re Biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur:*

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam mosaicam sacrorum librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione necnon indiciis internis, quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos?

Resp. Negative.

175 II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel ammanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit, qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem

(1) *Acta S. Sedis* 39 (1906) 377 s.

opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi 176
concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata ipsi operi inseruerit?

Resp. Affirmative.

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integri- 177
tate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas; mendosas demum lectiones vitio ammanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare?

Resp. Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio.

Die autem 27 Iunii anni 1906, in audientia Reverendissimis Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa adprobavit ac publici iuris fieri mandavit.

FULCRANUS G. VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis

7. Epistola E.mi Cardinalis Rampolla, Praesidis Pontificiae Commissionis Biblicae, ad R.mum P. Abbatem Primatem O. S. B. D. Hildebrandum de Hemptinne missa, *30 Aprilis 1907*, **de Vulgata restituenda** (1).

Reverendissimo P. Abate,

La Pontificia Commissione per gli studî biblici, creata, pochi 178
anni or sono, dal Sommo Pontefice Leone XIII di venerata memoria, ha per iscopo non solo di fornire all'insegnamento cattolico delle norme savie e sicure, che pur facendo ampio tesoro delle

(1) Cfr. *Acta S. Sedis* 40 (1907) 446-448.

vere conquiste della scienza, non si discostino dalle tradizioni inespugnabili della Chiesa; ma ancora di dare un nuovo impulso agli studî biblici, più importanti forse, che non furono mai, nei tempi nostri così travagliati dal dubbio universale e dall'evoluzionismo razionalistico. Fra i più utili argomenti a proporre alla trattazione dei dotti è certamente uno studio accurato ed esauriente sulle varianti della volgata latina. Già i Padri del Concilio di Trento, pur riconoscendo la Volgata quale edizione autentica per gli usi pubblici della Chiesa, non ne dissimularono le imperfezioni, onde espressero il voto che con ogni diligenza venisse sottomessa ad un esame minutissimo e ridotto a forma più definitivamente conforme ai testi originali. Questo compito affidarono essi alla sollecitudine della Sede Apostolica, ed i Romani Pontefici, per quanto le condizioni dei loro tempi consentivano, non tardarono ad estendere alla emendazione della Volgata le loro sapienti cure, quantunque non fosse loro dato di giungere al perfetto coronamento della non facile impresa. Fintanto che giunga l'ora propizia per così importante revisione che ponga in grado di dare una edizione emendatissima della Volgata latina, è indispensabile un laborioso studio preliminare di preparazione mercè più diligente e compiuta raccolta delle varianti di essa Volgata che si ritrovano sia nei codici, sia negli scritti dei Padri; studio al quale varii dotti già si applicarono con intelligenza e zelo, tra i quali a buon diritto occupa un degno posto l'illustre ed infaticabile P. Vercellone Barnabita. Essendo però siffatto lavoro molto complesso, è sembrato opportuno che venisse ufficialmente affidato ad un Ordine religioso capace di disporre dei mezzi proporzionati alla difficile impresa. È parso pertanto agli E.mi Signori Cardinali della Pontificia Commissione per gli studî biblici, ottimo divisamento, che la Santità di Nostro Signore Papa Pio X si è degnato di approvare, che l'illustre e benemerito Ordine Benedettino, i cui pazienti e dotti lavori in ogni ramo di ecclesiastica erudizione costituiscono un vero monumento di glorie legittimamente raccolte nel corso di molti secoli, fosse ufficialmente invitato ad incaricarsi di questo importantissimo e ponderoso studio.

179 Mi rivolgo quindi a Lei, R.mo P. Abate Primate, che con tanto zelo presiede alla confederazione benedettina, di cui cotesto monastero di S. Anselmo è degno centro, affinchè con quei sentimenti di devozione verso la Santa Sede, che le son proprii, si compiaccia assumere in nome dell'Ordine stesso l'indicato compito,

e rallegrandomi con Esso Lei per l'alta fiducia riposta nell'inclita famiglia di S. Benedetto, spero che i figli di cotanto Padre corrispondano con alacre gioia e felice successo all'onorevole invito. Lieto di poter così dare anche da parte mia una pubblica testimonianza dell'amore singolare che io nutro per l'Ordine Benedettino in genere, ed in ispecie per S. Anselmo ed il suo degnissimo capo, con sensi della più distinta stima godo di raffermarmi

Di Lei

Roma, 30 aprile 1907.

Aff.mo servitore

M. Card. Rampolla.

8. Pont. Commissio de Re Biblica:

Responsum IV, *29 Maii 1907,* **de auctore et veritate historica quarti Evangelii** (1)

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia de Re Biblica sequenti modo respondit: 180

Dubium I. Utrum ex constanti, universali ac sollemni Ecclesiae traditione iam a saeculo II decurrente, prout maxime eruitur: *a*) ex SS. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, immo etiam haereticorum, testimoniis et allusionibus, quae, cum ab Apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexu cum ipsa libri origine cohaerent; *b*) ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti Evangelii in canone et catalogis Sacrorum Librorum; *c*) ex eorumdem Librorum vetustissimis manuscriptis codicibus et in varia idiomata versionibus; *d*) ex publico usu liturgico inde ab Ecclesiae primordiis toto orbe obtinente; praescindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstretur Ioannem Apostolum et non alium quarti Evangelii auctorem esse agnoscendum, ut rationes a criticis in oppositum adductae hanc traditionem nullatenus infirment?

Resp. Affirmative.

Dubium II. Utrum etiam rationes internae, quae eruuntur ex textu quarti Evangelii seiunctim considerato, ex scribentis testimonio et Evangelii ipsius cum prima epistola Iohannis Apostoli manifesta cognatione, censendae sint confirmare traditionem quae eidem Apostolo quartum Evangelium indubitanter attribuit? — Et utrum 181

(1) *Acta S. Sedis* 40 (1907) 383 s.

difficultates quae ex collatione ipsius Evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita prae oculis diversitate temporis, scopi et auditorum, pro quibus vel contra quos auctor scripsit, solvi rationabiliter possint, prout SS. Patres et exegetae catholici passim praestiterunt?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

182 *Dubium III.* Utrum, non obstante praxi, quae a primis temporibus in universa Ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto Evangelio tamquam ex documento proprie historico, considerata nihilominus indole peculiari eiusdem Evangelii et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, dici possit facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas?

Resp. Negative.

Die autem 29 Maii anni 1907, in audientia ambobus Reverendissimis Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis

9. Suprema Congregatio Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis:

Decretum « Lamentabili », *3 Iulii 1907*, de praecipuis erroribus reformismi seu modernismi (1)

183 Lamentabili sane exitu aetas nostra, freni impatiens, in rerum summis rationibus indagandis ita nova non raro sequitur, ut, dimissa humani generis quasi hereditate, in errores incidat gravissimos. Qui errores longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de Sacra Scriptura interpretanda, si de fidei praecipuis mysteriis. Dolendum autem vehementer inveniri etiam inter catholicos non ita paucos scriptores, qui, praetergressi fines a Patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos (2), altioris intelligentiae specie et histo-

(1) *Acta S. Sedis* 40 (1907) 470-478.
(2) Cf. Prov. 22, 28.

ricae considerationis nomine, eum dogmatum progressum quaerunt, qui, reipsa, eorum corruptela est.

Ne vero huius generis errores, qui quotidie inter fideles spar- 184
guntur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem corrumpant, placuit SSmo D. N. Pio divina providentia PP. X, ut per hoc Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis Officium ii, qui inter eos praecipui essent, notarentur et reprobarentur.

Quare, instituto diligentissimo examine, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi Domini Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, propositiones, quae sequuntur reprobandas ac proscribendas esse iudicarunt, prouti hoc generali Decreto reprobantur ac proscribuntur:

1. Ecclesiastica lex, quae praescribit subiicere praeviae censurae 185
libros Divinas respicientes Scripturas, ad cultores critices aut exegeseos scientificae Librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur.

2. Ecclesiae interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem 186
spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni.

3. Ex iudiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cul- 187
tiorem exegesim latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiae, et dogmata catholica cum verioribus christianae religionis originibus componi reipsa non posse.

4. Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem defi- 188
nitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

5. Quum in deposito fidei veritates tantum revelatae continean- 189
tur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.

6. In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens 190
Ecclesia, ut docenti Ecclesiae nihil supersit, nisi communes discentis opinationes sancire.

7. Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere 191
ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.

8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes 192
a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendunt.

9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui 193
Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem.

194 **10.** Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo constitit, quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.

195 **11.** Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.

196 **12.** Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari, quam cetera documenta mere humana.

197 **13.** Parabolas evangelicas ipsimet Evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud Iudaeos.

198 **14.** In pluribus narrationibus non tam, quae vera sunt, Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.

199 **15.** Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.

200 **16.** Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in eius Evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis, historica veritate destitutae.

201 **17.** Quartum Evangelium miracula exaggeravit non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.

202 **18.** Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae, seu vitae Christi in Ecclesia, exeunte primo saeculo.

203 **19.** Heterodoxi exegetae fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici.

204 **20.** Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia.

205 **21.** Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa.

206 **22.** Dogmata, quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.

23. Exsistere potest et reipsa exsistit oppositio inter facta, quae 207
in Sacra Scriptura narrantur, eisque innixa Ecclesiae dogmata; ita ut criticus tamquam falsa reiicere possit facta, quae Ecclesia tamquam certissima credit.

24. Reprobandus non est exegeta qui praemissas adstruit, ex 208
quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget.

25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum. 209

26. Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum 210
practicum, idest tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi.

27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est 211
dogma, quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit.

28. Iesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem 212
loquebatur ut, doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant ut id demonstraret.

29. Concedere licet Christum, quem exhibet historia, multo in- 213
feriorem esse Christo qui est obiectum fidei.

30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequi- 214
valet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium.

31. Doctrina de Christo quam tradunt Paulus, Ioannes et 215
Concilia Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana.

32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum 216
cum eo, quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi.

33. Evidens est cuique, qui praeconceptis non ducitur opinio- 217
nibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in Evangeliis Synopticis contentae authenticitate carere.

34. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circum- 218
scriptam limite nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

35. Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis 219
messianicae.

220 **36.** Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

221 **37.** Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.

222 **38.** Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica, sed tantum paulina..

223 **39.** Opiniones de origine Sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent.

224 **40.** Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

225 **41.** Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam.

226 **42.** Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium, eique professionis christianae obligationes adnectens.

227 **43.** Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit, ut Sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et paenitentiam.

228 **44.** Nihil probat ritum Sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum Sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

229 **45.** Non omnia, quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (1), historice sunt sumenda.

230 **46.** Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato; sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Immo etiam postquam paenitentia tanquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur Sacramenti nomine, eo quod haberetur uti Sacramentum probrosum.

231 **47.** Verba Domini: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (2), minime referuntur ad Sacramentum paenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

(1) 1 Cor. 11, 23-25.
(2) Io 20, 22 s.

48. Iacobus in sua epistola ([1]) non intendit promulgare aliquod Sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi, qui notionem et numerum Sacramentorum statuerunt. 232

49. Coena christiana paulatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt. 233

50. Seniores qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut Episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam. 234

51. Matrimonium non potuit evadere Sacramentum Novae Legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro Sacramento haberetur necesse erat, ut praecederet plena doctrinae de gratia et Sacramentis theologica explicatio. 235

52. Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin immo in mente Christi regnum caeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat. 236

53. Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis; sed societas christiana perpetuae evolutioni, aeque ac societas humana, est obnoxia. 237

54. Dogmata, Sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes evolutionesque, quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque. 238

55. Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia. 239

56. Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis condicionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est. 240

57. Ecclesia sese praebet scientiarum naturalium et theologicarum progressibus infensam. 241

58. Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur. 242

59. Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius in- 243

([1]) Iac. 5, 14 s.

choavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum.

244 **60.** Doctrina christiana in suis exordiis fuit Iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum Paulina, tum Ioannica, demum Hellenica et universalis.

245 **61.** Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturae caput habere eumdem sensum pro critico ac pro theologo.

246 **62.** Praecipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant, quam habent pro christianis nostri temporis.

247 **63.** Ecclesia sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis, quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt.

248 **64.** Progressus scientiarum postulat, ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de Creatione, de Revelatione, de Persona Verbi Incarnati, de Redemptione.

249 **65.** Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.

Sequenti vero feria V, die 4 eiusdem mensis et anni, facta de his omnibus SSmo D. N. Pio PP. X accurata relatione, Sanctitas Sua Decretum Emorum Patrum adprobavit et confirmavit, ac omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.

PETRUS PALOMBELLI
S. R. et U. I. Notarius.

10. Encyclica « Pascendi », *8 Septembris 1907*, **de modernistarum doctrinis** (1)

250 ... Qua vero ratione ex agnosticismo, qui solum est in ignoratione, ad *atheismum* scientificum atque historicum modernistae transeant, qui contra totus est in inficiatione positus: quo idcirco ratiocinationis iure, ex eo, quod ignoretur, utrum humanarum gentium historiae intervenerit Deus necne, fiat gressus ad eamdem

(1) PII X *Acta* 4, 47-114; *Acta S. Sedis* 40 (1907) 593-650.

historiam neglecto omnino Deo explicandam, ac si reapse non intervenerit, novit plane qui possit. Id tamen ratum ipsis fixumque est, atheam debere esse scientiam itemque historiam; in quarum finibus non nisi phaenomenis possit esse locus, exturbato penitus Deo et quidquid divinum est. — Qua ex doctrina absurdissima quid de sanctissima Christi persona, quid de Ipsius vitae mortisque mysteriis, quid pariter de anastasi deque in caelum ascensu tenendum sit, mox plane videbimus.

Hic tamen agnosticismus, in disciplina modernistarum, non 251
nisi ut pars negans habenda est: positiva, ut aiunt, in *immanentia vitali* constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt.

Religio, sive ea naturalis est, sive supra naturam, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda: et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc immanentiae religiosae principium asseritur. Vitalis porro cuiuscumque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui sensus dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo, a moderna philosophia loquuntur, in subconscientia, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa.

Petet quis forsan, haec divini indigentia, quam homo in 252
se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat. Ad haec modernistae: Scientia atque historia, inquiunt, duplici includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent: hos enim praeter fines adest incognoscibile. Coram hoc incognoscibili, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in subconscientia lateat, indigentia

divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum fideismi scita, praevertente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet sensum: hic vero divinam ipsam realitatem, tum tamquam obiectum, tum tamquam sui causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic sensus, quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium.

253 Sed non hic philosophandi, seu rectius delirandi, finis. In eiusmodi enim sensu modernistae non fidem tantum reperiunt; sed, cum fide inque ipsa fide, prout illam intelligunt, *revelationi* locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet? An non revelationem dicemus, aut saltem revelationis exordium, sensum illum religiosum in conscientia apparentem; quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese, in eodem religioso sensu, animis manifestantem? Subdunt vero: cum fidei Deus obiectum sit aeque et causa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum. Hinc autem, Venerabiles Fratres, affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua religio quaelibet, pro diverso adspectu, naturalis una ac supernaturalis dicenda est. Hinc conscientiae ac revelationis promiscua significatio. Hinc lex, qua conscientia religiosa, ut regula universalis traditur, cum revelatione penitus aequanda, cui subesse omnes oporteat, supremam etiam in Ecclesia potestatem, sive haec doceat, sive de sacris disciplinave statuat.

254 Attamen in toto hoc processu, unde, ex modernistarum sententia, fides ac revelatio prodeunt, unum est magnopere attendendum, non exigui quidem momenti ob consequutiones historicocriticas, quas inde illi eruunt.

Nam Incognoscibile de quo loquuntur, non se fidei sistit ut nudum quid aut singulare; sed contra in phaenomeno aliquo arcte inhaerens, quod, quamvis ad campum scientiae aut historiae pertinet, ratione tamen aliqua praetergreditur; sive hoc phaenomenon sit factum aliquod naturae, arcani quidpiam in se continens, sive sit quivis unus ex hominibus, cuius ingenium acta verba cum ordinariis historiae legibus componi haud posse videntur. Tum vero fides, ab Incognoscibili allecta, quod cum phaenomeno iungitur, totum ipsum phaenomenon complectitur ac sua vita quodammodo permeat. Ex hoc autem duo consequuntur. Primum, quaedam phaenomeni transfiguratio, per elationem scilicet supra veras illius conditiones, qua aptior fiat materia ad induendam divini formam, quam

fides est inductura. Secundum, phaenomeni eiusdem aliquapiam, sic vocare liceat, defiguratio, inde nata, quod fides illi, loci temporisque adiunctis exempto, tribuit quae reapse non habet: quod usuvenit praecipue, quum de phaenomenis agitur exacti temporis, eoque amplius, quo sunt vetustiora. Ex gemino hoc capite binos iterum modernistae eruunt canones; qui, alteri additi iam ex agnosticismo habito, critices historicae fundamenta constituunt. Exemplo res illustrabitur; sitque illud e Christi persona petitum. In persona Christi, aiunt, scientia atque historia nil praeter hominem offendunt. Ergo, vi primi canonis ex agnosticismo deducti, ex eius historia quidquid divinum redolet, delendum est. Porro, vi alterius canonis, Christi persona historica transfigurata est a fide: ergo subducendum ab ea, quidquid ipsam evehit supra conditiones historicas. Demum, vi tertii canonis, eadem persona Christi a fide defigurata est: ergo removenda sunt ab illa sermones, acta, quidquid, uno verbo, ingenio, statui, educationi eius, loco ac tempori, quibus vixit, minime respondet. — Mira equidem ratiocinandi ratio: sed haec modernistarum critice.

Religiosus igitur sensus, qui per vitalem immanentiam e 255
latebris subconscientiae erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quae in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, eiusmodi sensus, paulatim atque influxu arcani illius principii' unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanae vitae, cuius, ut diximus, quaedam est forma. Habemus igitur religionis cuiuslibet, etsi supernaturalis, originem: sunt nempe illae religiosi sensus merae explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet; immo vero ceteris omnino parem: nam ea in conscientia Christi, electissimae naturae viri, cuiusmodi nemo unus fuit nec erit, vitalis processu immanentiae, non aliter, nata est.

Stupent profecto, qui haec audiant, tantam ad asserendum 256
audaciam, tantum sacrilegium! Attamen, Venerabiles Fratres, non haec sunt solum ab incredulis effutita temere. Catholici homines, immo vero e sacerdotibus plures, haec palam edisserunt; talibusque deliramentis Ecclesiam se instauraturos iactant! Non heic iam de veteri errore agitur, quo naturae humanae supernaturalis ordinis veluti ius tribuebatur. Longius admodum processum est, ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo aeque ac in nobis, a natura, ex se suaque sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil pro-

fecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum. Quare a Vaticana Synodo iure summo sancitum fuit: « Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit » [1] . . . .

257 Est aliud praeterea in hoc doctrinae capite, quod catholicae veritati est omnino infestum. — Nam istud de experientia praeceptum ad *traditionem* etiam transfertur, quam Ecclesia huc usque asseruit, eamque prorsus adimit. Enimvero modernistae sic traditionem intelligunt, ut sit originalis experientiae quaedam cum aliis communicatio per praedicationem, ope formulae intellectivae. Cui formulae propterea, praeter vim, ut aiunt, repraesentativam, suggestivam quandam adscribunt virtutem, tum in eo, qui credit, ad sensum religiosum forte torpentem excitandum, instaurandamque experientiam aliquando habitam, tum in eis, qui nondum credunt, ad sensum religiosum primo gignendum et experientiam producendam. Sic autem experientia religiosa late in populos propagatur; nec tantummodo in eos, qui nunc sunt per praedicationem, sed in posteros etiam, tam per libros quam per verborum de aliis in alios replicationem.

Haec vero experientiae communicatio radices quandoque agit vigetque; senescit quandoque statim ac moritur. Vigere autem, modernistis argumentum veritatis est: veritatem enim ac vitam promiscue habent. Ex quo inferre denuo licebit: religiones omnes, quotquot exstant, veras esse, nam secus nec viverent.

258 Re porro huc adducta, Venerabiles Fratres, satis superque habemus ad recte cognoscendum, quem ordinem modernistae statuant inter fidem et scientiam; quo etiam scientiae nomine historia apud illos notatur.

Ac primo quidem tenendum est, materiam uni obiectam materiae obiectae alteri externam omnino esse ab eaque seiunctam. Fides enim id unice spectat, quod scientia incognoscibile sibi esse profitetur. Hinc diversum utrique pensum: scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus; fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum conficitur, inter fidem et scientiam numquam esse posse discidium: si enim

(1) De revel. can. 3.

suum quaeque locum teneat, occurrere sibi invicem numquam poterunt, atque ideo nec contradicere.

Quibus si forte obiiciant, quaedam in adspectabili occurrere natura rerum quae ad fidem etiam pertineant, uti humanam Christi vitam, negabunt. Nam, etsi haec phaenomenis accensentur, tamen, quatenus vita fidei imbuuntur, et a fide, quo supra dictum est modo, transfigurata ac defigurata fuerunt, a sensibili mundo sunt abrepta et in divini materiam translata. Quamobrem poscenti ulterius, an Christus vera patrarit miracula vereque futura praesenserit, an vere revixerit atque in caelum conscenderit, scientia agnostica abnuet, fides affirmabit; ex hoc tamen nulla erit inter utramque pugna. Nam abnuet alter ut philosophus philosophos alloquens, Christum scilicet unice contemplatus secundum realitatem historicam; affirmabit alter ut credens cum credentibus locutus, Christi vitam spectans, prout iterum vivitur a fide et in fide.

Ex his tamen fallitur vehementer, qui reputet posse opi- 259
nari, fidem et scientiam alteram sub altera nulla penitus ratione esse subiectam. Nam de scientia quidem recte vereque existimabit; secus autem de fide, quae, non uno tantum, sed triplici ex capite, scientiae subiici dicenda est. Primum namque advertere oportet, in facto quovis religioso, detracta divina realitate quamque de illa habet experientiam, qui credit, cetera omnia, praesertim vero religiosas formulas, phaenomenorum ambitum minime transgredi, atque ideo cadere sub scientiam. Liceat utique credenti, si volet, de mundo excedere; quamdiu tamen in mundo deget, leges, obtutum, iudicia scientiae atque historiae numquam, velit nolit, effugiet.

Praeterea, quamvis dictum est Deum solius fidei esse obiectum, id de divina quidem realitate concedendum est, non tamen de idea Dei. Haec quippe scientiae subest; quae, dum in ordine, ut aiunt, logico philosophatur, quidquid etiam absolutum est attingit atque ideale. Quocirca philosophia seu scientia cognoscendi de idea Dei ius habet, eamque in sui evolutione moderandi, et, si quid extrarium invaserit, corrigendi. Hinc modernistarum effatum: evolutionem religiosam cum morali et intellectuali componi debere; videlicet, ut quidam tradit, quem magistrum sequuntur, eisdem subdi.

Accedit demum, quod homo dualitatem in se ipse non patitur: quamobrem credentem quaedam intima urget necessitas fidem cum scientia sic componendi, ut a generali ne discrepet idea, quam

scientia exhibet de hoc mundo universo. Sic ergo conficitur, scientiam a fide omnino solutam esse, fidem contra, ut ut scientiae extranea praedicetur, eidem subesse.

Quae omnia, Venerabiles Fratres, contraria prorsus sunt iis. quae PIUS IX, decessor Noster, tradebat, docens: « Philosophiae esse, in iis quae ad religionem pertinent, non dominari sed ancillari, non praescribere, quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque revereri » (1). Modernistae negotium plane invertunt: quibus idcirco applicari queunt, quae GREGORIUS IX, item decessor Noster, de quibusdam suae aetatis theologis scribebat: « Quidam apud vos, spiritu vanitatis ut uter distenti, positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate (2); caelestis paginae intellectum... ad doctrinam philosophicam rationalium inclinando, ad ostentationem scientiae, non profectum aliquem auditorum... Ipsi, *doctrinis variis et peregrinis* abducti (3), redigunt caput in caudam, et ancillae cogunt famulari reginam » (4).

260 Quod profecto apertius patebit intuenti, quo pacto modernistae agant, accommodate omnino ad ea, quae docent. Multa enim ab eis contrarie videntur scripta vel dicta, ut quis facile illos aestimet ancipites atque incertos. Verumtamen consulte id et considerate accidit, ex opinione scilicet, quam habent de fidei atque scientiae seiunctione mutua. Hinc in eorum libris quaedam offendimus, quae catholicus omnino probet; quaedam, aversa pagina, quae rationalistam dictasse autumes. Hinc, historiam scribentes, nullam de divinitate Christi mentionem iniiciunt; ad concionem vero in templis eam firmissime profitentur. Item, enarrantes historiam, Concilia et Patres nullo loco habent; catechesim autem si tradunt, illa atque illos cum honore afferunt. Hinc etiam exegesim theologicam et pastoralem a scientifica et historica secernunt. Similiter, ex principio quod scientia a fide nullo pacto pendeat, quum de philosophia, de historia, de critice disserunt, Lutheri sequi vestigia non exhorrentes (5), despicientiam praeceptorum catholicorum, Sanc-

(1) PIUS IX, *Breve ad Episc. Vratislav.*, 15 Iunii 1857.

(2) Cf. Prov. 22, 28.

(3) Cf. Hebr. 13, 9.

(4) GREGORIUS IX, *Epistola ad magistros theol. Paris.*, 7 Iulii 1223.

(5) *Prop. 29 damnata a* LEONE X, *Bulla* « Exsurge Domine », 16 Maii 1520.

torum Patrum, oecumenicarum Synodorum, magisterii ecclesiastici omnimodis ostentant; de qua si carpantur, libertatem sibi adimi conqueruntur. Professi demum fidem esse scientiae subiiciendam, Ecclesiam passim aperteque reprehendunt, quod sua dogmata philosophiae opinionibus subdere et accommodare obstinatissime renuat: ipsi vero, veteri ad hunc finem theologia sublata, novam invehere contendunt, quae philosophorum delirationibus obsecundet.

Hic iam, Venerabiles Fratres, nobis fit aditus ad moderni- 261
stas in theologico agone spectandos. Salebrosum quidem opus: sed paucis absolvendum.

Agitur nimirum de concilianda fide cum scientia, idque non aliter quam una alteri subiectâ. Eo in genere modernista theologus eisdem utitur principiis, quae usui philosopho esse vidimus, illaque ad credentem aptat: principia inquimus immanentiae et symbolismi. Sic autem rem expeditissime perficit. Traditur a philosopho principium fidei esse immanens; a credente additur hoc principium Deum esse; concludit ipse: Deus ergo est immanens in homine. Hinc immanentia theologica. Iterum: philosopho certum est repraesentationes obiecti fidei esse tantum symbolicas; credenti pariter certum est fidei obiectum esse Deum in se; theologus igitur colligit: repraesentationes divinae realitatis esse symbolicas. Hinc symbolismus theologicus....

Huic vero immanentiae pronuntiato aliud adiicitur, quod 262
a permanentia divina vocare possumus: quae duo inter se eo fere modo differunt, quo experientia privata ab experientia per traditionem transmissa. Exemplum rem collustrabit: sitque ab Ecclesia et Sacramentis deductum. Ecclesia, inquiunt, et Sacramenta a Christo ipso instituta minime credenda sunt. Cavet id agnosticismus, qui in Christo nil praeter hominem novit, cuius conscientia religiosa, ut ceterorum hominum, sensim efformata est; cavet lex immanentiae, quae externas, ut aiunt, applicationes respuit; cavet item lex evolutionis, quae ut germina evolvantur, tempus postulat et quandam adiunctorum sibi succedentium seriem; cavet demum historia, quae talem reapse rei cursum fuisse ostendit. Attamen Ecclesiam et Sacramenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est. Quî vero? Conscientias christianas omnes in Christi conscientia virtute quodammodo inclusas affirmant, ut in semine planta. Quoniam autem germina vitam seminis vivunt, christiani omnes vitam Christi vivere dicendi sunt. Sed Christi vita, secundum fidem, divina est:

ergo et christianorum vita. Si igitur haec vita, decursu aetatum, Ecclesiae et Sacramentis initium dedit, iure omnino dicetur initium huiusmodi esse a Christo ac divinum esse. Sic omnino conficiunt divinas esse etiam Scripturas Sacras, divina dogmata.

His porro modernistarum theologia ferme absolvitur. Brevis profecto supellex: sed ei perabundans, qui profiteatur, scientiae, quidquid praeceperit, semper esse obtemperandum.

Horum ad cetera, quae dicemus, applicationem quisque facile per se viderit.

263 De origine fidei deque eius natura attigimus huc usque. Fidei autem cum multa sint germina, praecipua vero Ecclesia, dogma, sacra et religiones, Libri quos Sanctos nominamus, de his quoque quid modernistae doceant, inquirendum. . . .

264 De Librorum etiam Sacrorum natura et origine aliquid iam delibavimus. Eos, ad modernistarum scita, definire probe quis possit syllogen experientiarum, non cuique passim advenientium, sed extraordinariarum atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae. — Sic prorsus modernistae docent de Libris nostris tum Veteris tum Novi Testamenti. Ad suas tamen opiniones callidissime notant: quamvis experientia sit praesentis temporis, posse tamen illam de praeteritis aeque ac de futuris materiam sumere, prout videlicet, qui credit, vel exacta rursus per recordationem in modum praesentium vivit, vel futura per praeoccupationem. Id autem explicat quomodo historici quoque et apocalyptici in Libris Sacris censeri queant. — Sic igitur in hisce Libris Deus quidem loquitur per credentem; sed, uti fert theologia modernistarum, per immanentiam solummodo et permanentiam vitalem.

265 Quaeremus, quid tum de inspiratione? Haec, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementiâ, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poëtica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis Sacrorum Librorum.

266 De qua praeterea inspiratione modernistae addunt, nihil omnino esse in Sacris Libris, quod illa careat. Quod quum affirmant, magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant, ut, exempli causa, cum *tacitas* sic dictas *citationes* invehunt. Sed haec illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticismi praeceptis iudicamus, humanum scilicet opus,

ab hominibus pro hominibus exaratum, licet ius theologo detur ea per immanentiam divina praedicandi; quî demum inspiratio coarctari possit? Generalem utique modernistae Sacrorum Librorum inspirationem asseverant: catholico tamen sensu nullam admittunt. . .

Sed postquam in modernismi assectatoribus philosophum, cre- 267
dentem, theologum observavimus, iam nunc restat, ut pariter historicum, criticum, apologetam, reformatorem spectemus.

Modernistarum quidam, qui componendis historiis se dedunt, solliciti magnopere videntur, ne credantur philosophi; profitentur quin immo philosophiae se penitus expertes esse. Astute id quam quod maxime: ne scilicet cuipiam sit opinio, eos praeiudicatis imbui philosophiae opinationibus, nec esse propterea, ut aiunt, omnino obiectivos. Verum tamen est, historiam illorum aut criticen meram loqui philosophiam; quaeque ab iis inferuntur, ex philosophicis eorum principiis iusta ratiocinatione concludi. Quod equidem facile consideranti patet.

Primi tres huiusmodi historicorum aut criticorum canones, ut diximus, eadem illa sunt principia, quae supra ex philosophis attulimus: nimirum agnosticismus, theorema de transfiguratione rerum per fidem, itemque aliud quod de defiguratione dici posse visum est. Iam consecutiones ex singulis notemus.

Ex agnosticismo historia, non aliter ac scientia, unice de phae- 268
nomenis est. Ergo tam Deus quam quilibet in humanis divinus interventus ad fidem reiiciendus est, utpote ad illam pertinens unam. Quapropter si quid occurrat duplici constans elemento, divino atque humano, cuiusmodi sunt Christus, Ecclesia, Sacramenta, aliaque id genus multa; sic partiendum erit ac secernendum, ut quod humanum fuerit historiae, quod divinum tribuatur fidei. Ideo vulgata apud modernistas discretio inter Christum historicum et Christum fidei, Ecclesiam historiae et Ecclesiam fidei, Sacramenta historiae et Sacramenta fidei, aliaque similia passim. — Deinde hoc ipsum elementum humanum, quod sibi historicum sumere videmus, quale illud in monumentis apparet, a fide per transfigurationem ultra conditiones historicas elatum dicendum est. Adiectiones igitur a fide factas rursus secernere oportet, easque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei: sic, quum de Christo agitur, quidquid conditionem hominis superat, sive naturalem, prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque aetate, quibus ille vixit, conflatam.

269 Praeterea, ex tertio philosophiae principio, res etiam, quae historiae ambitum non excedunt, cribro veluti cernunt, eliminantque omnia ac pariter ad fidem amandant quae, ipsorum iudicio, in factorum logica, ut inquiunt, non sunt vel personis apta non fuerint. Sic volunt Christum ea non dixisse, quae audientis vulgi captum excedere videntur. Hinc de reali eius historia delent et fidei permittunt allegorias omnes, quae in sermonibus eius occurrunt. Quaeremus forsitan, qua lege haec segregentur? Ex ingenio hominis, ex conditione, qua sit in civitate usus, ex educatione, ex adiunctorum facti cuiusquam complexu: uno verbo, si bene novimus, ex norma, quae tandem aliquando in mere subiectivam recidit. Nituntur scilicet Christi personam ipsi capere et quasi gerere; quidquid vero paribus in adiunctis ipsi fuissent acturi, id omne in Christum transferunt.

Sic igitur, ut concludamus, a priori et ex quibusdam philosophiae principiis, quam tenent quidem, sed ignorare asserunt, in reali, quam vocant, historia Christum Deum non esse affirmant nec quicquam divini egisse; ut hominem vero ea tantum patrasse aut dixisse, quae ipsi, ad illius se tempora referentes, patrandi aut dicendi ius tribuunt.

270 Ut autem historia ab philosophia, sic critice ab historia suas accipit conclusiones. Criticus namque, indicia secutus ab historico praebita, monumenta partitur bifariam. Quidquid post dictam triplicem obtruncationem superat, reali historiae assignat; cetera ad fidei historiam seu internam ablegat. Has enim binas historias accurate distinguunt; et historiam fidei, quod bene notatum volumus, historiae reali, ut realis est, opponunt. Hinc, ut iam diximus, geminus Christus; realis alter, alter qui nunquam reapse fuit, sed ad fidem pertinet; alter qui certo loco certaque vixit aetate, alter qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur: eiusmodi, exempli causa, est Christus, quem Ioannis Evangelium exhibet; quod utique, aiunt, totum quantum est, commentatio est.

Verum non his philosophiae in historiam dominatus absolvitur. Monumentis, ut diximus, bifariam distributis, adest iterum philosophus, cum suo dogmate vitalis immanentiae; atque omnia edicit, quae sunt in Ecclesiae historia, per vitalem emanationem esse explicanda. Atqui vitalis cuiuscumque emanationis aut causa aut conditio est in necessitate seu indigentia quapiam ponenda: ergo et factum post necessitatem concipi oportet, et illud historice huic esse posterius.

Quid tum historicus? Monumenta iterum, sive quae in Libris Sacris continentur sive aliunde adducta, scrutatus, indicem ex iis conficit singularum necessitatum, tum ad dogma, tum ad cultum sacrorum, tum ad alia spectantium, quae in Ecclesia, altera ex altera, locum habuere. Confectum indicem critico tradit. Hic vero ad monumenta, quae fidei historiae destinantur, manum admovet; illaque per aetates singulas sic disponit, ut dato indici respondeant singula: eius semper praecepti memor, factum necessitate, narrationem facto anteverti. Equidem fieri aliquando possit, quasdam Bibliorum partes, ut puta epistolas, ipsum esse factum a necessitate creatum. Quidquid tamen sit, lex est, monumenti cuiuslibet aetatem non aliter determinandam esse, quam ex aetate exortae in Ecclesia uniuscuiusque necessitatis.

Distinguendum praeterea est inter facti cuiuspiam exordium eiusdemque explicationem: quod enim uno die nasci potest, non nisi decursu temporis incrementa suscipit. Hanc ob causam debet criticus monumenta, per aetates, ut diximus, iam distributa, bipartiri iterum, altera, quae ad originem rei, altera, quae ad explicationem pertineant, secernens; eaque rursus ordinare per tempora.

Tum denuo philosopho locus est; qui iniungit historico sua studia sic exercere, uti evolutionis praecepta legesque praescribunt. Ad haec historicus monumenta iterum scrutari; inquirere curiose in adiuncta conditionesque, quibus Ecclesia per singulas aetates sit usa, in eius vim conservatricem, in necessitates tam internas quam externas quae ad progrediendum impellerent, in impedimenta quae obfuerunt, uno verbo, in ea quaecumque quae ad determinandum faxint quo pacto evolutionis leges fuerint servatae. Post haec tandem explicationis historiam, per extrema veluti lineamenta, describit. Succurrit criticus aptatque monumenta reliqua. Ad scriptionem adhibetur manus: historia confecta est.

Cui iam, petimus, haec historia inscribenda? Historico ne an critico? Neutri profecto, sed philosopho. Tota ibi per apriorismum res agitur: et quidem per apriorismum haeresibus scatentem. Miseret sane hominum eiusmodi, de quibus Apostolus diceret: *Evanuerunt in cogitationibus suis... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (1): at bilem tamen commovent, quum Ecclesiam criminantur monumenta sic permiscere ac temperare, ut suae utilitati

(1) Rom. 1, 21 s.

loquantur. Nimirum affingunt Ecclesiae, quod sua sibi conscientia apertissime improbari sentiunt.

271 Ex illa porro monumentorum per aetates partitione ac dispositione sequitur sua sponte non posse Libros Sacros iis auctoribus tribui, quibus reapse inscribuntur. Quam ob causam modernistae passim non dubitant asserere, illos eosdem Libros, Pentateuchum praesertim ac prima tria Evangelia, ex brevi quadam primigenia narratione, crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda.

Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda est vitalis evolutio Librorum Sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens.

Addunt vero, huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad Libros sacros amplificandos, admorint manum.

Haec autem, ut confirment, criticen, quam textualem nominant, adiutricem appellant; nituntur que persuadere hoc vel illud factum aut dictum non suo esse loco, aliasque eiusmodi rationes proferunt. Diceres profecto eos narrationum aut sermonum quosdam quasi typos praestituisse sibi, unde certissime iudicent quid suo, quid alieno stet loco.

Hac via quî apti esse queant ad decernendum, aestimet qui volet. Verumtamen qui eos audiat de suis exercitationibus circa Sacros Libros affirmantes, unde tot ibi incongrue notata datum est deprehendere, credet fere nullum ante ipsos hominum eosdem Libros volutasse, neque hos infinitam propemodum Doctorum multitudinem quaquaversus rimatam esse, ingenio plane et eruditione et sanctitudine vitae longe illis praestantiorem. Qui equidem Doctores sapientissimi tantum abfuit, ut Scripturas Sacras ulla ex parte reprehenderent, ut immo, quo illas scrutabantur penitius, eo maiores divino Numini agerent gratias, quod ita cum hominibus loqui dignatum esset. Sed heu! non iis adiumentis Doctores nostri in Sacros Libros incubuerunt, quibus modernistae! scilicet magistram et ducem non habuere philosophiam, quae initia duceret a negatione Dei, nec se ipsi iudicandi normam sibi delegerunt...

Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetae novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quae animos offendant. Quin etiam, non obscura quadam voluptate, in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant: subdunt tamen, haec non solum admittere excusationem, sed, quod mirum esse oportet, iuste ac legitime esse prolata. Sic etiam, secundum ipsos, in Sacris Libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquiunt, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia integumenta sunt quaedam, quibus experientiae religiosae et morales obteguntur, ut facilius in vulgus propagarentur; quod quidem vulgus cum non aliter intelligeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocumento fuisset. Ceterum, addunt, Libri Sacri, quia naturâ sunt religiosi, vitam necessario vivunt: iam vitae sua quoque est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac proportionis tum ad medium (sic ipsi dicunt), in quo vivitur, tum ad finem, ob quem vivitur. Demum eo usque progrediuntur, ut, nulla adhibita temperatione, asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum. 272

Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique Sacros Libros sic aestimamus, « quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem » [1], hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere: verbisque AUGUSTINI asserimus: « Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum Librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eâdem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur » [2]. Unde fiet quod idem Sanctus Doctor adiungit: « In eis, scilicet Scripturis, quod vult, quisque credet, quod non vult, non credet ». 273

Sed modernistae apologetae progrediuntur alacres. Concedunt praeterea, in Sacris Libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quae nullo rationali fundamento regantur; eiusmodi sunt, quae in prophetiis nituntur. Verum has 274

(1) *Conc. Vatican., De revel.* cap. 2. V. supra n. 62.
(2) S. AUGUSTINUS, *Epist.* 28.

quoque defendunt quasi artificia quaedam praedicationis, quae a vita legitima fiunt. Quid amplius? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse: neque id mirum, inquiunt, videri debet; nam et ipse vitae legibus tenebatur! . . . .

275 Huic tantorum errorum agmini clam aperteque invadenti Leo XIII, decessor Noster fel. rec., praesertim in re biblica, occurrere fortiter dicto actuque conatus est. Sed modernistae, ut iam vidimus, non his facile terrentur armis: observantiam demissionemque animi affectantes summam, verba Pontificis Maximi in suas partes detorserunt, actus in alios quoslibet transtulere. Sic malum robustius in dies factum. Quamobrem, Venerabiles Fratres, moras diutius non interponere decretum est, atque efficaciora moliri. . . .

276 **11. Motu proprio « Praestantia Scripturae Sacrae »,** *18 Novembris 1907,* **de sententiis Pontificiae Commissionis de Re Biblica** (1).

Pius PP. X. — Praestantia Scripturae Sacrae enarrata, eiusque commendato studio, Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* datis 14 Kalendas Decembres a. 1893, Leo XIII, Noster immortalis memoriae Decessor, leges descripsit, quibus Sacrorum Bibliorum studia ratione proba regerentur; Librisque Divinis contra errores calumniasque Rationalistarum assertis, simul et ab opinionibus vindicavit falsae doctrinae, quae *critica sublimior* audit; quas quidem opiniones nihil esse aliud palam est nisi *Rationalismi commenta,* quemadmodum sapientissime scribebat Pontifex, *e philologia et finitimis disciplinis detorta.*

277 Ingravescenti autem in dies periculo prospecturus, quod inconsultarum deviarumque sententiarum propagatione parabatur, Litteris Apostolicis *Vigilantiae studiique memores* 3 Kalendas Novembres a. 1902 datis, Decessor idem Noster Pontificale Consilium seu Commissionem de Re Biblica condidit, aliquot doctrina et prudeutia claros S. R. E. Cardinales complexam, quibus, Consultorum nomine, complures e sacro ordine adiecti sunt viri, e doctis scientia theologiae Bibliorumque Sacrorum delecti, natione varii, studiorumque exegeticorum methodo atque opinamentis dissimiles. Scilicet id commodum Pontifex, aptissimum studiis et aetati, animo

(1) Pii X *Acta* 4, 233-236; *Acta S. Sedis* 40 (1907) 723-726.

spectabat, fieri in Consilio locum sententiis quibusvis libertate omnimoda proponendis, expendendis disceptandisque; neque ante, secundum eas Litteras, certa aliqua in sententia debere Purpuratos Patres consistere, quam quum cognita prius et in utramque partem examinata rerum argumenta forent, nihilque esset posthabitum, quod posset clarissimo collocare in lumine verum sincerumque propositarum de re biblica quaestionum statum: hoc demum emenso cursu, debere sententias Pontifici Summo subiici probandas, ac deinde pervulgari.

Post diuturna rerum iudicia consultationesque diligentissimas, 278
quaedam feliciter a Pontificio de Re Biblica Consilio emissae sententiae sunt, provehendis germane biblicis studiis iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis novitatibus affectas, studioque praeter modum abrepti falsae libertatis, quae sane est licentia intemperans, probatque se in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo, quo par est, obsequio sententias eiusmodi, quamquam a Pontifice probatas, exceperint aut excipiant.

Quapropter declarandum illud praecipiendumque videmus, 279
quemadmodum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, *perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiiciendi;* (1)

(1) *Hic referre juvat quae habet Pius IX in epistola « Tuas libenter »* 280
ad archiepiscopum Monaco-Frisingensem, de theologorum germanorum conventu, 21 Dec. 1863: ...Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem, quae ex catholicae fidei obligatione necessario oritur, persuadere Nobis volumus, noluisse obligationem, qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxat dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum huiusque Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque exten-

nec posse notam tum detrectatae oboedientiae, tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque, quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronuntiatis.

283 Ad haec audentiores quotidie spiritus complurium modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere, non Decreto solum *Lamentabili sane exitu*, quod 5 Nonas Iulias anni vertentis S. R. et U. Inquisitio, Nobis iubentibus, edidit; verum etiam Litteris Encyclicis Nostris *Pascendi dominici gregis*, datis die 8 mensis Septembris istius eiusdem anni, auctoritate Nostra Apostolica iteramus confirmamusque tum Decretum illud Congregationis Sacrae Supremae, tum Litteras eas Nostras Encyclicas, addita *excommunicationis* poena adversus contradictores; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod Deus avertat, eo audaciae progrediatur, ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque, in alterutro documento, quod supra diximus, improbatis, tueatur, censura ipso facto plecti

denda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur (*Cfr. Syllabum Pii IX, prop. 22*).

281 Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco eiusdem conventus viri recognoscere debent sapientibus catholicis haud satis esse ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram (*Pii IX Acta, Pars I*, t. 3, 638 ss.; *Acta S. Sedis* 8 (1874), 433 ss.

282 *Cf. etiam Concilium Vaticanum, Sess. III. Canones de fide et ratione* (*in fine*) :

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt (*Pii IX Acta* 5, 194).

Eadem habet Codex Iuris Canonici c. 1324.

capite *Docentes* Constitutionis *Apostolicae Sedis* irrogata, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis. Haec autem excommunicatio salvis poenis est intelligenda, in quas, qui contra memorata documenta quidpiam commiserint, possint uti propagatores defensoresque haeresum incurrere, si quando eorum propositiones, opiniones doctrinaeve haereticae sint, quod quidem de utriusque illius documenti adversariis plus semel usuvenit, tum vero maxime quum modernistarum errores, id est *omnium haereseon collectum,* propugnant.

His constitutis, Ordinariis dioecesum et Moderatoribus reli- 284
giosarum Consociationum denuo vehementerque commendamus, velint pervigiles in magistros esse, Seminariorum in primis; repertosque erroribus modernistarum imbutos, novarum nocentiumque rerum studiosos, aut minus ad praescripta Sedis Apostolicae, utcumque edita, dociles, magisterio prorsus interdicant: a sacris item ordinibus adolescentes excludant, qui vel minimum dubitationis iniiciant doctrinas se consectari damnatas novitatesque maleficas. Simul hortamur, observare studiose ne cessent libros aliaque scripta, nimium quidem percrebrescentia, quae opiniones proclivitatesque gerant tales, ut improbatis per Encyclicas Litteras Decretumque supra dicta consentiant: ea summovenda curent ex officinis librariis catholicis multoque magis e studiosae iuventutis clerique manibus. Id si sollerter accuraverint, verae etiam solidaeque faverint institutioni mentium, in qua maxime debet sacrorum Praesulum sollicitudo versari.

Haec Nos universa rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 18 mensis Novembris a. 1907, Pontificatus Nostri 5.

Pius PP. X

12. Epistola Pii PP. X ad Rmum D. Aidanum Gasquet, Abbatem Congregationis Anglo-Benedictinae Praesidem, *3 Decembris 1907,* **de Vulgata restituenda** (1).

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — De- 285
latum Sodalibus Benedictinis munus pervestigationum studiorumque apparandorum, quibus nova innitatur editio Conversionis Latinae

(1) Pii X *Acta* 4, 117-119; *Acta S. Sedis* 40 (1907) 721-722.

Scripturarum, quae Vulgatae nomen invenit, adeo equidem arbitramur nobile ut gratulari vehementer non tibi modo, sed sodalibus universis tuis, iis maxime qui adiutores clari operis erunt, debeamus. Operosum et arduum habetis propositum facinus, in quo sollerter, memoriâ patrum, celebres eruditione viri, ipsoque e Pontificum numero aliquot, felici haud plane conatu, elaborarunt. Adiungentibus vobis rei illustri animum, non est dubitationi locus, finem vos concrediti muneris fore assecuturos, qui finis restitutione continetur primiformis textus Hieronymianae Bibliorum Conversionis, consequentium saeculorum vitio non paullum depravati. Explorata, qua Benedictini Sodales pollent, palaeographiae historicarumque disciplinarum scientia, eorumque compertissima in pervestigando constantia, certo securoque animo doctos esse iubent perfecta vos investigatione antiquos Codices universos Latinae Scripturarum Interpretationis, quotquot adservari in Europae Bibliothecis ad haec tempora constat, esse examinaturos; idque praeterea habituros curae, Codices ubique conquirere in lucemque proferre, qui usque adhuc incomperti lateant. Has vero conquisitiones valde est exoptandum ut, quo minore fieri negotio possit, persequi cuique vestrum fas sit: ideoque praefectis tabulariorum bibliothecarumque studia vestra impensa commendamus, nihil ambigentes, quin pro sua in doctrinas Librosque sacros voluntate, omnem vobis gratiam impertiant. —

286 Singularis praestantia rei et concepta de vobis ab Ecclesia expectatio, ingenium item horum temporum, quibus illud certe dandum est laudi, pervestigationes istius modi ita perficere, ut nulla ex parte reprehendendae videantur: talia haec profecto sunt, ut aperte inde appareat, oportere id opus ad absolutionem plane ac perfectionem afferri, ductuque confici normarum, quae plurimi apud disciplinas id genus aestimentur. Equidem intelligimus longo vobis opus esse temporis spatio, ut munus exitu fausto concludatis: talis namque agitur res quam animis aggredi et perficere necesse est curarum et festinationis expertibus. Neque vero perspicuum minus Nobis est, quam multa pecuniae vi tam amplo exsequendo consilio sit opus: ob eamque rem spem libet amplecti non defuturos immortali operi qui de suis fortunis adiutores velint se dare, bene de Sacris Litteris ac de Christiana Religione merituri. Eos Nos, perinde atque vos, initio egregii facinoris, hortatione prosequimur, velint Nobiscum adiumentum operi afferre; quandoquidem qui bona impendunt studia, liberalibus debent manibus fulciri. Auspicem luminum gra-

tiarumque coelestium, indicemque praecipuae dilectionis Nostrae Apostolicam Benedictionem tibi iisque universis ac singulis, qui studium opemve praestantissimo facinori contulerint, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Decembris anno 1907, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X.

13. Pont. Commissio de Re Biblica, Responsum V. *28 Iunii 1908,* **de libri Isaiae indole et auctore** (1)

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia de Re Biblica 287
sequenti modo respondit:

Dubium I. Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae, — et passim in Scripturis, — non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his, quae iam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturali ingenii acumine, coniiciendo praenuntiasse?

Resp. Negative.

Dubium II. Utrum sententia quae tenet, Isaiam ceterosque 288
prophetas vaticinia non edidisse nisi de his, quae in continenti vel post non grande temporis spatium eventura erant, conciliari possit cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquo certo editis, necnon cum communi SS. Patrum sententia concorditer asserentium, prophetas ea quoque praedixisse, quae post multa saecula essent implenda?

Resp. Negative.

Dubium III. Utrum admitti possit, prophetas non modo tam- 289
quam correctores pravitatis humanae divinique verbi in profectum audientium praecones, verum etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intelligi potuerint; proindeque secundam partem libri Isaiae (cap. 40-66), in qua vates non Iudaeos Isaiae aequales, at Iudaeos in exilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur

(1) PII X *Acta* 4, 140-142; *Acta S. Sedis* 41 (1908) 613 s.

non posse ipsum Isaiam iamdiu emortuum auctorem habere, sed oportere eam ignoto cuidam vati inter exules viventi assignare?

Resp. Negative.

290 *Dubium IV.* Utrum, ad impugnandam identitatem auctoris libri Isaiae, argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicae linguae peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere?

Resp. Negative.

291 *Dubium V.* Utrum solida prostent argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, immo pluribus auctoribus esse tribuendum?

Resp. Negative.

Die autem 28 Iunii 1908, in audientia ambobus Reverendissimis Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 29 Iunii 1908

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis

14. Rescriptum, *15 Februarii 1909,* **de organo officiali Pont. Commissionis de Re Biblica** (1)

292 Cum de expressa voluntate SS. D. N. Pii PP. X *Acta Apostolicae Sedis* typis Vaticanis edita, sint unicum *Commentarium officiale* ad « Constitutiones Pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum, tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita legitime promulganda et evulganda », Eminentissimi DD. Cardinales Commissioni Pontificiae de Re Biblica addicti in coetu 14 Februarii huius anni in aedibus Vaticanis habito, statuerunt, ut praedicta Commissio ad actus suos publici iuris faciendos nullo alio deinceps promulgationis organo uteretur.

Romae, die 15 Februarii anno 1909

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis

(1) *Acta Apostolicae Sedis* 1 (1909) 241.

15. Litterae Apostolicae « Vinea electa », *7 Maii 1909,* **quibus Pontificium Institutum Biblicum in Urbe erigitur** ([1])

Ad perpetuam rei memoriam. — Vinea electa sacrae Scripturae ut uberiores in dies fructus tum Ecclesiae Pastoribus, tum fidelibus universis afferret, iam inde ab exordiis apostolici Nostri regiminis, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, omni ope contendimus. Instabat enim in primis praesens Ecclesiae necessitas, ex eo maxime parta, quod de disceptationibus biblicis confusae essent usque quaque ac perturbatae mentes. Urgebat etiam conceptum animo Nostro desiderium, itemque nativum muneris Nostri officium provehendi pro viribus studium Sacrarum Scripturarum, comparandique, catholicis praecipue iuvenibus, catholica studiorum subsidia, ne cum ingenti sanae doctrinae discrimine ad heterodoxos se conferrent redirentque modernistarum spiritu imbuti. 293

His talibus Ecclesia malis efficacia et nova remedia oppositurus, maioraque studiorum biblicorum incrementa curaturus, illud iam pridem Leo XIII r. m. animo spectavit, athenaeum biblicum in Urbe constituere, quod altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicae ornatum, copiam praesertim excellentium magistrorum ad exponendos in scholis catholicis Divinos Libros praeberet. 294

Salutare ac frugiferum Decessoris Nostri propositum Nos quidem avide complexi, iam Litteris Nostris *Scripturae Sanctae,* die 23 Februarii mensis anno 1904 datis, monuimus, percommodum Nobis consilium videri huiusmodi athenaei biblici in Urbe condendi, quo « delecti undique adolescentes convenirent, scientia divinorum eloquiorum singulares evasuri », illud addentes, spem bonam Nos certamque fovere fore, ut eius perficiendae rei facultas, quae tunc quidem Nobis, non secus ac Decessori Nostro deerat, aliquando ex catholicorum liberalitate suppeteret.

Itaque, quod felix faustumque sit reique catholicae bene vertat, Pontificium Institutum Biblicum in hac alma Urbe, apostolica Nostra auctoritate, tenore praesentium, motu proprio, de certaque scientia ac matura deliberatione Nostris, erigimus, eiusque leges ac disciplinam has esse statuimus : 295

Finis Pontificio Biblico Instituto sit, ut in Urbe Roma altiorum studiorum ad Libros sacros pertinentium habeatur centrum, 296

([1]) *Acta Apostolicae Sedis* 1 (1909) 447-449.

quod efficaciore, quo liceat, modo doctrinam biblicam et studia omnia eidem adiuncta, sensu Ecclesiae catholicae promoveat.

297 Ad hunc finem spectat in primis, ut, selecti ex utroque clero atque ex variis nationibus adolescentes, absoluto iam ordinario philosophiae ac theologiae cursu, in studiis biblicis ita perficiantur atque exerceantur, ut illa postmodum tam privatim quam publice, tum scribentes cum docentes, profiteri valeant, et gravitate ac sinceritate doctrinae commendati, sive in munere magistrorum penes catholicas scholas, sive in officio scriptorum pro catholica veritate vindicanda, eorum dignitatem tueri possint.

298 Ad eumdem finem pertinet, ut tum magistri atque alumni Instituto adscripti, tum auditores, tum etiam hospites, qui extra ordinarium in Instituto studiorum cursum in disciplinis biblicis proficere cupiant, omnibus praesidiis adiuventur, quae ad studia laboresque id genus opportuna censeantur.

299 Denique Instituti fine continetur, ut sanam de Libris Sacris doctrinam, normis ab hac S. Sede Apostolica statutis vel statuendis omnino conformem, adversus opiniones, recentiorum maxime, falsas, erroneas, temerarias atque haereticas defendat, promulget, promoveat.

300 Ut Institutum id quod spectat assequi valeat, omnibus ad rem idoneis praesidiis erit instructum.

Quare complectetur in primis lectiones atque exercitationes practicas de re biblica universa. Ac primo quidem loco eae materiae tractandae erunt, quibus alumni muniantur ad faciendum doctrinae suae coram Pontificia Commissione Biblica periculum. His accedent lectiones atque exercitiatones de quaestionibus peculiaribus ex interpretatione, introductione, archaeologia, historia, geographia, philologia, aliisque disciplinis ad Sacros Libros pertinentibus. Addetur methodica et practica informatio alumnorum, qua ad disputationes biblicas ratione scientifica pertractandas instruantur et exerceantur. Praeterea publice de rebus bibiicis *conferentiae* adiicientur, ut communi quoque multorum necessitati atque utilitati prospiciatur.

301 Alterum summopere necessarium praesidium erit biblica bibliotheca, quae opera potissimum antiqua et nova complectetur necessaria vel utilia ad verum in disciplinis biblicis profectum comparandum, et ad fructuose peragenda ordinaria doctorum alumnorumque in Instituto studia. Accedet museum biblicum, seu rerum

earum collectio, quae ad Sacras Scripturas et antiquitates biblicas illustrandas utiles esse dignoscantur.

Tertium subsidium erit series variorum scriptorum, nomine 302
et auctoritate Instituti promulganda, ex quibus alia eruditis investigationibus, alia defendendae circa Libros Sacros catholicae veritati, alia spargendis ubique sanis de re biblica doctrinis proderunt.

De constitutione atque ordinatione Instituti quae sequuntur edicimus :

I. Pontificium Institutum biblicum ab Apostolica Sede imme- 303
diate dependeat eiusque praescriptis legibusque regatur.

II. Instituti regimen nominando a Nobis praesidi credatur : 304
hic, commissi sibi muneris vi, gerat Instituti personam, de rebusque gravioribus universis, quae Institutum attingant, ad Nos referat, Nobisque regiminis sui rationem quotannis reddat.

III. Professores ordinarii constituant Instituti consilium, quod 305
una cum praeside provehendis Instituti ipsius bono et incremento operam navabit.

IV. Supremam studiorum et regiminis Instituti normam et 306
regulam principia et decreta constituenr per Sedem Apostolicam et Pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda. Quae principia atque decreta ut fideliter, integre sincereque servent et custodiant, speciali se obligatione teneri ii universi intelligant, qui ad Pontificium hoc Institutum Biblicum quovis modo pertineant atque ad studia biblica in ipso Instituto incumbant.

Quae ad constitutionem atque ordinationem Instituti huius Biblici propius spectent, ea in propriis Instituti legibus, his Litteris Nostris adiunctis, enucleatius declaramus.

Haec volumus, edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, efficaces semper exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die 7 Maii 1909, Pontificatus Nostri anno 6.

L. ✠ S. R. Card. Merry del Val, *a secretis Status*

16. Leges Pontificio Instituto Biblico regendo [1]

TITULUS I. *De studiis in Instituto peragendis*

307 1. Peragendorum in Instituto studiorum materia ea in primis est, quae ad academicos gradus a Pontificia Commissione Biblica conferendos requiritur. Fas praeterea erit, de disceptationibus universis, ad profectum disciplinae biblicae pertinentibus, in Instituti ipsius scholis disserere.

308 2. Habendae in Instituto scholae triplicis generis sint: lectiones, exercitiationes practicae, conferentiae publicae.

309 3. In lectionibus pars aliqua disciplinae biblicae, nec nimis amplis nec nimis arctis circumscripta limitibus, ratione scientifica alumnis proponatur, ut ita in studiis adiuventur et ad subsequentes labores fructuose exantlandos sedulo instruantur.

310 4. Practicae exercitationes triplicem habeant sibi propositum finem: a) *quod ad materiam studiorum,* viam sternere ad argumentum aliquod altius noscendum, subsidiis litterariis propositis, rationibus illustratis, difficultatibus solutis; b) *quod ad formam,* edocere omnes familiaremque, institutione et usu, reddere scientificam methodum in studiis servandam: c) *quod ad praxim,* exercitiationibus viva voce aut scripto habendis, alumnorum quoque excitare activam assiduamque operam eorumque facultates scientificas ac paedagogicas evolvere.

311 5. Conferentiae publicae occurrant in primis communi multorum necessitati atque utilitati. Hae tamen alumnis etiam Instituti multiplicem poterunt fructum afferre, cum rationem ipsis ostendant disputationes biblicas modo scientifico simul et populari, multorumque intellectui accommodato, pertractandi, suppeditentque provectioribus opportunitatem se practice exercitandi in hoc perutili dicendi genere, hac nostra potissimum aetate summopere necessario.

312 6. Pro universis biblicis studiis, tam in scholis quam privatim peragendis, Institutum alumnis offeret commodam laborum supellectilem omniaque eruditionis biblicae instrumenta.

[1] *Acta Apost. Sedis* 1 (1909) 449-451.

Titulus II. *De regimine Instituti*

7. Regimen Instituti spectat ad praesidem, qui, sui muneris vi, Instituti personam gerit. 313

8. Praeses a Summo Pontifice nominatur, audita relatione Praepositi generalis Societatis Iesu, qui tres pro eo munere candidatos Ipsi proponet. 314

9. Praesidis adiutor et socius munere fungatur a secretis Instituti, et in rebus ordinariis vices gerat absentis vel impediti praesidis. 315

10. Pro bibliothecae cura gerenda et ceteris externis rebus ordinariis bibliothecarius et custos aliique idonei socii designentur. 316

11. Praeses de omnibus gravioribus Instituti rebus ad Apostolicam Sedem referat, et ipsi Sedi regiminis sui rationem quotannis reddat. 317

Titulus III. *De magistris Instituti*

12. Lectiones, exercitationes et conferentiae certis temporibus habeantur ac dirigantur ab Instituti magistris. Hi vero vel ordinarii professores vel extraordinarii lectores erunt. 318

13. Professores ordinarii de consensu Apostolicae Sedis per Praepositum Generalem Societatis Iesu nominentur. 319

14. Lectores extraordinarii, postquam plures per annos in officio docendi se probaverint, ad ordinarii professoris munus, servatis servandis, ascendere poterunt. 320

15. Magistri omnes etiam extra lectiones atque exercitationes practicas alumnis praesto erunt eosque in disciplinae biblicae studiis adiuvabunt ac dirigent. Scriptis quoque suis propositum Instituto finem assequendum curabunt, illudque maxime cavebunt, ne in varias ac dissitas doctrinae investigationes abstracti, maturo laborum suorum fructu destituantur. 321

Tilulus IV. *De celebrantibus Instituti scholas*

16. Iuvenes studiis biblicis in Instituto operam navantes, ad tres classes pertinere poterunt; nam aut alumni proprie dicti erunt, aut auditores inscripti, aut hospites liberi. 322

17. In numerum alumnorum proprie dictorum non admittentur, nisi qui sint in sacra theologia doctores, cursumque philoso- 323

phiae scholasticae integre absolverint. Alumni omnes ita expleant in Instituto regulariter studiorum cursum, ut se ad periculum coram Pontificia Commissione Biblica faciendum parent.

324 18. Auditores inscribi possunt, qui integrum philosophiae ac theologiae cursum absolverint.

325 19. Ceteris studiosis, tamquam hospitibus liberis, ad lectiones audiendas aditus pateat.

326 20. Alumni atque auditores frequentes assidue esse diligentiamque servare tam in lectionibus quam in exercitationibus Instituti teneantur.

TITULUS V. *De bibliotheca Instituti*

327 21. Bibliotheca Instituti ita instruatur, ut ordinariis studiis atque elucubrationibus tam doctorum quam discipulorum necessaria atque utilia praebeat litteraria subsidia.

328 22. Quare complectatur in primis opera sanctorum Patrum aliorumque interpretum catholicorum et praestantiorum acatholicorum de biblicis disciplinis.

329 23. Peculiari ratione bibliotheca instruatur praecipuis operibus encyclopaedicis et periodicis recentioribus ad Biblica pertinentibus.

330 24. Praeter magistros, Instituti alumni atque auditores ad usum bibliothecae ordinarium prae ceteris admittantur. Ordinario bibliothecae usu sint reliqui interdicti.

331 25. Cum bibliotheca in id debeat maxime inservire, ut studia ipso in Instituto peragantur, libros et scripta periodica in alium locum asportare nefas erit.

Ex Aedibus Vaticanis, die 7 Maii a. 1909

De speciali mandato Sanctissimi

L. ✠ S. R. Card. MERRY DEL VAL, *a secretis Status*

17. Pont. Commissio de Re Biblica,

Responsum VI, *30 Iunii 1909*, de charactere historico trium priorum capitum Geneseos (1)

332 I. Utrum varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Geneseos

(1) *Acta Apost. Sedis* 1 (1909) 567-569.

excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur?

Resp. Negative.

II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Ge- 333
neseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum Veteris tum Novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab israelitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit, praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias, ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas?

Resp. Negative ad utramque partem.

III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in du- 334
bium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter caetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad eius oboedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum deiectio ab illo primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris futuri promissio?

Resp. Negative.

IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos 335
Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique tradiderint, liceat, salvo Ecclesiae iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam?

Resp. Affirmative.

V. Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quae 336
in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam

cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere?

Resp. Negative.

337 VI. Utrum, praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica, praefulgente sanctorum Patrum et Ecclesiae ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit?

Resp. Affirmative.

338 VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere, sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo ferebat per ea tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas?

Resp. Negative.

339 VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *yôm* (dies) sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque huiusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare liceat?

Resp. Affirmative.

Die autem 30 Iunii anni 1909, in audientia ambobus Reverendissimis Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 30 Iunii 1909

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis

18. Responsum VII, *1 Maii 1910*, **de auctoribus et de tempore compositionis Psalmorum** (1)

340 I. Utrum appellationes *Psalmi David, Hymni David, Liber Psalmorum David, Psalterium Davidicum,* in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti

(1) *Acta Apost. Sedis* 2 (1910) 354 s.

librum CL Psalmorum, sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat?

Resp. Negative.

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu 341
alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit, titulos psalmorum hebraico textui praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum; ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem Iudaica traditione derivasse?

Resp. Affirmative.

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, Iudaicae traditionis 342
testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari?

Resp. Negative.

IV. Utrum, si considerentur Sacrae Scripturae haud infrequen- 343
tia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam, in componendis carminibus religiosis, institutiones ab ipso conditae de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixae sunt; insuper consensus Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denegari possit, praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio psalti carmina esse tribuenda?

Resp. Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit Davidica origo eorum 344
psalmorum qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt Ps. 2 *Quare fremuerunt gentes;* Ps. 15 *Conserva me, Domine;* Ps. 17 *Diligam te, Domine, fortitudo mea;* Ps. 31 *Beati quorum remissae sunt iniquitates;* Ps. 68 *Salvum me fac, Deus;* Ps. 109 *Dixit Dominus Domino meo?*

Resp. Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit, qui tenent inter 345
Psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompertas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti; itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei, Deus,*

qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi Iudaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

346 VII. Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui indiciis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione, demonstrare conati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quinimmo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit?

Resp. Negative.

347 VIII. Utrum ex multiplici Sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam Iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri Liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde reiicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coarctant?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

Die autem 1 Maii 1910, in audientia utrique Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 1 Maii 1910

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis

19. Motu proprio « Illibatae » *29 Iunii 1910*, de iureiurando conceptis verbis dando ab iis, qui doctores in Sacra Scriptura sunt renuntiandi (1)

348 Illibatae custodiendae religionis nostrae doctrinae animum intendentes, plura superioribus annis providenda ac sancienda curavimus, quorum virtute, Decessoris Nostri fel. rec. exempla secutitum debitum responsis Sacri Consilii de Re Biblica obsequium fir-

(1) *Acta Apost. Sedis* 2 (1910) 469 s.

mavimus, tum proprium huiusmodi colendis studiis, aetate hac nostra quam quae maxime gravibus, Institutum condidimus. Quoniam vero non id tantummodo cordi Nobis est alumnos, ad magisterium contendentes, praesidiis disciplinae consentaneis ita instruere, ut scientiam de re biblica perfecte calleant et progressionem finitimarum doctrinarum in Sacros Libros defendendos apte derivent, sed etiam ut, magisterium assecuti, haustam disciplinam fideliter tradant scientiamque in discipulorum mentibus sine ulla devii sensus suspicione inserant, idcirco formulam praeterea iurisiurandi praescribendam putavimus, quam candidati ad lauream, antequam doctoris titulo in Sacra Scriptura donentur, recitáre atque emittere teneantur. Itaque tum doctrinae sacrae, tum magistrorum alumnorumque, tum denique Ecclesiae ipsius securiori bono prospecturi, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum, decernimus, volumus, praecipimus, ut qui in Sacra Scriptura doctores sint renuntiandi, iuramenti formulam in hunc, qui sequitur, modum emittant:

« Ego N. N. omni, qua par est, reverentia me subiicio et sin- 349
cero animo adhaereo omnibus decisionibus, declarationibus et praescriptionibus Apostolicae Sedis seu Romanorum Pontificum de Sacris Scripturis deque recta earumdem explanandarum ratione, praesertim vero Leonis XIII Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus*, die 18 Novembris anno 1893 datis, nec non Pii X Motu proprio *Praestantia Scripturae Sacrae*, dato die 18 Novembris anno 1907 eiusque Apostolicis Litteris *Vinea electa*, datis die 7 Maii anno 1909, quibus edicitur " universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiiciendi, nec posse notam tum detrectatae oboedientiae, tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisque sententias has tales impugnent ,,; quare spondeo me " principia et decreta per Sedem Apostolicam et Pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda ,, uti " supremam studiorum normam et regulam ,, fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nec umquam me sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque

eadem esse impugnaturum. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».

Quod vero documento hoc Nostro, Motu proprio edito, statutum est, id ratum firmumque esse iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 29 Iunii 1910, Pontificatus Nostri anno septimo. PIUS PP. X

20. Ex Motu proprio «Sacrorum Antistitum», *1 Septembris 1910,* quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum [1])

Formula iurisiurandi

350 ... Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere, amplectitur. ...

21. Pont. Commissio de Re Biblica.

Ratio periclitandae doctrinae candidatorum ad academicos gradus in Sacra Scriptura, *approbata a S. P. Pio PP. X diebus 12 Ianuarii et 24 Maii 1911* ([2])

Pars prima: De disciplinarum capitibus

351 Cuicumque ad academicos in Sacra Scriptura gradus, secundum ea quae Apostolicis Litteris *Scripturae Sanctae* constituta sunt, licet certumque est contendere, disciplinarum capita definiuntur, in quibus apud Commissionem Biblicam legitima doctrinae suae experimenta dabit.

Caput I: Ad prolytatum

In experimento quod scripto fit:

352 A. *Exegesis* (i. e. expositio doctrinalis, critica et philologica) *quattuor Evangeliorum et Actuum Apostolorum.* Pericope ex his, a iudicibus eligenda, de qua verbis quoque periculum fiet.

([1]) *Acta Apost. Sedis* 2 (1910) 669-672.

([2]) *Acta Apost. Sedis* 3 (1911) 47-50. 296-300. - Nonnulla capita particularia opportune mutata sunt, prout in sequentibus habentur.

B. *Dissertatio de historia biblica* iuxta materiam sub n. III assignatam. 353

C. *Dissertatio de Introductione generali* iuxta materiam infra positam sub n. V, vel *de Introductione speciali* in sequentes libros: Pentateuchi, Iob, Psalmorum, Isaiae, Ieremiae, Ezechielis, Danielis, Ecclesiastici, Sapientiae et totius Novi Testamenti. 354

In experimento verbali:

I. *Graece quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, epistola ad Romanos et secunda epistola ad Corinthios.* 355

II. *Hebraice quatuor libri Regum.* 356

III. *Quaestiones selectae ex tota historia Hebraeorum et ex historia evangelica et apostolica:* 357

1. Historia Abrahae; eius relationes cum *Babylonia* (Amraphel - Hammurabi ?) et cum *Aegypto; Chanaan* tempore Abrahae.
2. Commoratio Hebraeorum in Aegypto; Moyses.
3. Exodus; Hebraeorum vicissitudines in deserto.
4. Historia Iudicum.
5. Institutio regni Israelitici.
6. Aevum splendoris regni Israelitici; David et Salomon.
7. Schisma decem tribuum. - Bellica incursio Sesac in Palaestinam. - Regna Iosaphat, Athaliae, Oziae, Achaz, Ezechiae, Manasses, Iosiae. - Hierusalem capta a Nabuchodonosor.
8. Dynastia Amri eiusque inimici (Mesa etc.). - Iehu, Manahem, Phacee. - Ultimi dies Samariae.
9. Reditus ab exsilio. Exordium diasporae (documenta Elephantinae).
10. Iudaeorum historia tempore Machabaeorum.
11. Iudaea sub dominatione Romana. - Herodum dynastia.
12. Historia evangelica et apostolica.

IV. *Introductio specialis in singulos libros utriusque Testamenti* (i. e. authenticitas, aetas, argumentum). 358

V. *Introductionis generalis quaestiones selectae,* nimirum: 359

1. De Bibliorum Sacrorum inspiratione.
2. De sensu litterali et de sensu typico.
3. De legibus hermeneuticae.
4. De praecipuis documentis Ecclesiae ad rem biblicam spectantibus.

5. De antiquis Hebraeorum synagogis.
6. De variis Iudaeorum sectis circa tempora Christi.
7. De gentibus Palaestinam tempore Christi incolentibus.
8. Geographia physica Palaestinae.
9. De praecipuis differentiis divisionis Palaestinae tempore Regum et tempore Christi.
10. Topographia Hierusalem, imprimis tempore Christi.
11. De kalendario et praecipuis ritibus sacris Hebraeorum.
12. De ponderibus, mensuris et nummis in Sacra Scriptura memoratis.

Caput II : Ad lauream

Scripto:

360 *Amplior quaedam dissertatio circa thesim aliquam graviorem, ab ipso candidato de Commissionis assensu eligendam.*

Coram:

361 I. *Dissertationis a Censoribus impugnandae defensio.*

362 II. *Specimen praelectionis exegeticae a candidato dandum de argumento una ante hora ipsi designato.*

363 III. *Exegesis unius ex sequentibus Novi Testamenti partibus a candidato deligendae atque pro arbitrio iudicum exponendae:*

1. Epistolae ad Romanos.
2. Epistolarum 1 et 2 ad Corinthios.
3. Epistolarum ad Thessalonicenses 1 et 2 et ad Galatas.
4. Epistolarum captivitatis et pastoralium.
5. Epistolae ad Hebraeos.
6. Epistolarum Catholicarum.
7. Apocalypsis.

364 IV. *Exegesis ut supra alicuius ex infrascriptis Veteris Testamenti partibus:*

1. Genesis.
2. Exodi, Levitici et Numerorum.
3. Deuteronomii.
4. Iosue.
5. Iudicum et Ruth.
6. Librorum Paralipomenon, Esdrae et Nehemiae.
7. Iob.

8. Psalmorum.
9. Proverbiorum.
10. Ecclesiastae et Sapientiae.
11. Cantici Canticorum et Ecclesiastici.
12. Esther, Tobiae et Iudith.
13. Isaiae.
14. Ieremiae cum Lamentationibus et Baruch.
15. Ezechielis.
16. Danielis cum libris Machabaeorum.
17. Prophetarum minorum.

V. *Introductionis generalis quaestiones selectae:* 365

1. De historia exegeseos christianae usque ad finem saec. V; imprimis de scholis exegeticis Alexandrina et Antiochena necnon de operibus exegeticis S. Hieronymi.

2. De historia canonis Librorum utriusque Testamenti.

3. De origine et auctoritate textus massoretici.

4. De versione septuagintavirali et de aliis versionibus Vulgata antiquioribus, in crisi textuum adhibendis.

5. Vulgatae historia usque ad initium saec. VII. - Eiusdem authenticitas a Concilio Tridentino declarata, et posteriores emendationes.

6. Notitia praecipuorum documentorum, effossionum et inventionum Sacras Litteras illustrantium.

VI. *Peritia praeterea probanda erit in aliqua ex linguis praeter Hebraicam et Chaldaicam orientalibus, quarum usus in disciplinis biblicis maior est.* 366

Pars altera: De ipsis experimentis

Caput I: Ad conferendum prolytatum

ART. I. *De periculorum tempore deque petitione a candidatis facienda*

1. Candidatis ad prolytatum, itemque ad lauream, probandis 367
duplex habetur iudicum sessio, mense Novembri et mense Iunio, id est ineunte et exeunte anno scholastico.

2. Candidati petitionem Rmo Consultori ab Actis exhibeant 368
et quidem ante finem mensis Iunii, qui volunt in sessione prima periculum doctrinae suae facere, ante finem Aprilis, qui in altera.

369 3. In petitione candidatus, praeter nomen, cognomen, domicilium suum, indicet etiam, ubi et quo die ad sacerdotium sit promotus. Praeterea exhibeat documenta authentica, quibus constet, in quo Athenaeo vel Instituto et per quot annos primum studia philosophica, dein studia theologica, sive ordinaria sive superiora, peregerit; ubi et quo die sacrae theologiae lauream, vel, si sit religiosus, titulum laureae vere aequivalentem, ex facultate a Sancta Sede Religioni facta, sit consecutus ([1]). Idem petitioni litteras commendatitias adiungat Ordinarii sui vel, si e religioso Ordine Institutove sit, Antistitis manu subscripta. Horum autem documentorum inspectionem sibi Pontificia Commissio reservat.

370 4. De diebus periculorum destinatis candidati tempestive certiores fiunt.

Art. II. *De lingua in experimentis adhibenda*

371 Experimenta iis, qui prolytatum petunt - item qui lauream - latine danda sunt, nisi cui alia lingua permittatur uti.

Art. III. *De experimentis scriptis*

372 1. Experimentum scriptum complectitur: *a*) Dissertationem exegeticam de textu aliquo Evangeliorum vel Actuum; - *b*) Scriptionem de quopiam argumento ex historia biblica iuxta materiarum indicem in adnexo folio descriptum; - *c*) Scriptionem de aliquo argumento Introductionis generalis vel specialis ibidem pariter assignato. Ad hanc geminam scriptionem conficiendam bis tres horae conceduntur; sex autem ad dissertationem, cui propterea duplex tribuitur valor.

373 2. Dissertatio et scriptiones sunt sine cuiusvis libri adminiculo conficiendae, praeter Scripturae textum et concordantias, quorum exemplar cuivis candidato ab ipsa Commissione, sed pro dissertatione exegetica dumtaxat, traditur.

374 3. Quod attinet ad modum argumentum exegeticum tractandi, magna relinquitur candidatis libertas. Sciant tamen ab eis non requiri oratoriam quamdam amplificationem, sed tractationem scientia et ratione confectam, quae litteralem scilicet expositionem propositi textus exhibeat, cum conclusionibus doctrinalibus, compara-

([1]) Cf. Declarationem die 26 Febr. 1927 datam; infra n. 526-528.

tione locorum consimilium, interpretatione praecipuarum variarum lectionum, explanatione antilogiarum, quae vel inter textum et versiones, vel inter eiusdem textus locutiones occurrant.

ART. IV. *De experimentis, quae viva voce fiunt*

1. Verbis candidatus unum pluresve locos Evangeliorum, 375
Actuum, epist. ad Romanos et 2 epist. ad Corinthios graece, atque unum pluresve locos librorum Regum hebraice ex tempore interpretari debet.

Praeterea de historia Antiqui et Novi Testamenti; de Introductione speciali; de quaestionibus Introductionis generalis in memorato indice assignatis; demum, ad iudicum arbitrium, de argumento in scriptionibus evoluto, interrogatur.

2. Experimentum, quod voce fit, duas complectitur horas, id 376
est bis semihoram pro parte graeca et hebraica, et ter viginti momenta pro altera.

ART. V. *De notis seu punctis deque conditionibus ad successum requisitis*

1. Singulis utriusque experimenti partibus aequalis tribuitur 377
punctorum numerus, id est viginti, quae tamen puncta in experimento linguae hebraicae et graecae, necnon dissertationis exegeticae duplum valorem habent.

2. In qua materia candidatus duodecim puncta tulerit, in ea 378
se satis iudicibus probasse sciat.

3. Ad felicem exitum utriusque experimenti requiritur, ut 379
candidatus ad mensuram modo descriptam in singulis materiis bene responderit.

4. Qui eam mensuram in singulis materiis experimenti scripti 380
non attigerit, ad tentandum orale experimentum non admittitur.

5. Qui vero felicem exitum in scriptis habuit, etsi in experi- 381
mento verbali deficiat, ei experimentum scriptum iterandum non est.

6. Nemo experimentum eius materiae iterare debet, in qua sede- 382
cim puncta tulit, nisi in materiis plus duabus ceciderit, aut in duabus, quae ad eamdem experimenti partem pertineant, scilicet ad utramque linguam hebraicam et graecam, vel ad alias experimenti materias.

7. Qui in iterato experimento, sive scripto sive verbali, iterum 383
cecidit, pericula numquam postea tentare sinitur. Iterare autem

experimentum nisi in sequenti aliqua sessione non licet, salva speciali venia ab Eminentissimo Cardinali Praeside impetranda.

384 8. Qui in utroque experimento sic se probavit, ut, partitione punctorum facta, tres quartas summae partes retulerit, is ius ad honorificam sui mentionem acquirit.

385 9. Experimenti verbalis exitus nonnisi die insequenti a Revmo Secretario candidatis significatur.

ART. VI. *De expensis a Candidatis faciendis*

386 1. Candidati ante experimentum summam 225 libellarum solvere tenentur.

387 2. Candidatis, quibus experimentum haud bene successit, summa 70 libellarum restituetur; quod si in scriptis satis fecerint iudicibus, non eis restituentur nisi libellae 30.

388 3. Qui experimentum verbale iterum tentant, sive ex integro, sive ex parte, solvant 30 libellas pro diplomate aliisque expensis, et insuper libellas 20 pro singulis experimenti materiis.

Caput II: Ad lauream

ART. I. *De conditionibus ante servandis*

389 1. « Nemini liceat suam periclitari doctrinam, laureae in Scriptura Sacra potiundae causa, nisi saltem biennio ante prolyta renuntiatus sit, simulque vel rem biblicam docuerit, vel aliquam de eadem elucubrationem ediderit » ([1]).

390 2. Cum nomen suum Rmo Secretario dat, candidatus simul indicet titulum et generalem notionem suae theseos doctoralis, necnon linguam, qua eam exarare intendat.

391 3. Pariter significet: *a*) librum vel librorum complexum, tum Antiqui tum Novi Testamenti, quorum exegesim praeparare intendit, iuxta alterum experimentorum indicem; *b*) insuper quamnam linguam orientalem ad experimentum dandum elegerit et de quibusnam textibus se interrogari cupiat. Concessa autem idiomata sunt: Syriacum, Assyriacum, Arabicum, Aethiopicum, Copticum et vetus Aegyptiacum.

NB. - Materia experimenti in linguis debet esse sat ampla, extra textum biblicum, maiori saltem parte, potius deligenda. Pro-

([1]) BENEDICTUS XV, *Cum Biblia Sacra* n: IX; v. infra n. 447.

positio operis penes candidatum est, modo sufficientis sit molis et adprobatio R̃morum Consultorum accedat.

4. R̃mus Secretarius significabit candidato, utrum theseos argumentum aliasque propositas materias Commissio comprobaverit, et quasnam forte eadem animadversiones fecerit aut mutationes suggesserit. 392

5. Ipse vero candidatus tempestive, id est ante finem mensis Maii, si in prima sessione examen subire desiderat, ante finem mensis Februarii, si in sessione altera, mittat suae theseos typice, lithographice aut mechanice editae quindecim saltem exemplaria, ut, praeter Em̃os DD. Cardinales Pontificiae Commissioni adscriptos, quotquot R̃mi Consultores defensioni theseos interesse cupiant, singuli unum accipiant. 393

6. Postquam thesis examini iudicum subiecta fuerit, maiorique numero suffragia ferentium probata, R̃mus Secretarius, auditis R̃mis Consultoribus, cum candidato constituet de die experimento theseosque defensioni assignando. 394

Art. II. *De experimento deque theseos defensione*

1. Experimentum duplici parte constat: altera praeliminari, altera solemniori. 395

2. Experimentum *praeliminare*, technicum quodammodo, in duplex periculum dividitur. Interrogandus est candidatus: *a*) de lingua orientali a se delecta; - *b*) de libris Antiqui vel Novi Testamenti a se propositis, necnon de notionibus ad rem criticam et patristicam spectantibus ad normam adnexi indicis. 396

Quae omnia experimenta in aula publica habentur ita, ut qui cupierint, auditores eisdem interesse possint.

3. Experimentum *solemnius* duas pariter complectitur partes: lectionem publicam a candidato ex tempore habendam, et ipsam theseos defensionem. 397

a) Lectio publice habenda est de argumento a iudicibus delecto e Libris utriusque Testamenti ab ipso candidato propositis, vel de quaestionibus rei criticae aut patristicae in adnexo indice descriptis. Candidato conceditur spatium unius horae ad hanc lectionem praeparandam. Absoluta lectione, quae 15 vel 20 momenta non excedat, iudices candidatum tentent sive de argumento le-

ctionis, sive de quaestionibus connexis, quin tamen indicis ambitum excedant.

b) Defensionem theseos praecedit argumenti expositio nitida, expedita et, quantum fieri potest, plena, quae tamen spatium 20 momentorum numquam excedat. Tres dein e iudicum collegio thesim ex officio impugnent. Post quos alii quoque Rm̃i Consultores quaestiones movere possunt. Spatium utriusque experimenti definitum non est. Suadendum tamen, ut unius diei intervallo inter se distent.

398 4. Absoluta theseos defensione, iudices conveniunt de admissione candidati inter se deliberaturi. Cuius deliberationis exitus a Rm̃o Secretario die sequenti candidato significatur.

Art. III. *De expensis a candidato solvendis*

399 1. Candidatus ad lauream 500 libellas solvere debet, dimidiam scilicet partem, dum thesim doctoralem tradit, alteram antequam eius defensionem suscipiat.

400 2. Quae tamen altera pars non est solvenda, nisi thesi iam accepta. Quodsi theseos defensio infelicem habuerit exitum, 50 libellae candidato restituentur.

22. Pont. Commissio de Re Biblica

Responsum VIII, *19 Iunii 1911*, de auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangelii secundum Matthaeum (1).

401 *Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:*

I. Utrum, attento universali et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia, codicum Evangeliorum inscriptiones, Sacrorum Librorum versiones vel antiquissimae et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificibus et Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiae orientalis et occidentalis, affirmari certo possit et debeat Matthaeum, Christi Apostolum, revera Evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem?

Resp. Affirmative.

402 II. Utrum traditionis suffragio satis fulciri censenda sit sententia, quae tenet Matthaeum et ceteros Evangelistas in scribendo

(1) *Acta Apost. Sedis* 3 (1911) 294-296.

praecessisse, et primum Evangelium patrio sermone a Iudaeis Palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum redactio huius originalis textus differri possit ultra 403
tempus eversionis Ierusalem, ita ut vaticinia, quae de eadem eversione ibi leguntur, scripta fuerint post eventum; aut, quod allegari solet Irenaei testimonium (1), incertae et controversae interpretationis, tanti ponderis sit existimandum, ut cogat reiicere eorum sententiam, qui congruentius traditioni censent eamdem redactionem etiam ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam?

Resp. Negative ad utramque partem.

IV. Utrum sustineri vel probabiliter possit illa modernorum 404
quorumdam opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie et stricte Evangelium composuisset, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi, quibus tamquam fontibus usus esset alius auctor anonymus, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt?

Resp. Negative.

V. Utrum ex eo, quod Patres et ecclesiastici scriptores omnes, 405
immo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis, unice usi sunt, tamquam canonico, graeco textu Evangelii sub Matthaei nomine cogniti, ne iis quidem exceptis, qui Matthaeum Apostolum patrio scripsisse sermone expresse tradiderunt, certo probari possit ipsum Evangelium graecum identicum esse quoad substantiam cum Evangelio illo, patrio sermone ab eodem Apostolo exarato?

Resp. Affirmative.

VI. Utrum ex eo, quod auctor primi Evangelii scopum prose- 406
quitur praecipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe Iudaeis Iesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum et a Davidica stirpe progenitum, et quod insuper in disponendis factis et dictis, quae enarrat et refert, non semper ordinem chronologicum tenet, deduci inde liceat ea non esse ut vera recipienda; aut etiam affirmari possit narrationes gestorum et sermonum Christi, quae in ipso Evangelio leguntur, alterationem quamdam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris Ecclesiae status subiisse, ac proinde historicae veritati haud esse conformes?

Resp. Negative ad utramque partem.

(1) S. Iren., *Adv. haer.* 3, 1, 2.

407 VII. Utrum speciatim solido fundamento destitutae censeri iure debeant opiniones eorum, qui in dubium revocant authenticitatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, sicut et quarumdam in re dogmatica magni momenti sententiarum, uti sunt illae, quae respiciunt primatum Petri (1), formam baptizandi cum universali missione praedicandi Apostolis traditam (2), professionem fidei Apostolorum in divinitatem Christi (3), et alia huiusmodi, quae apud Matthaeum peculiari modo enuntiata occurrunt?

Resp. Affirmative.

Die autem 19 Iunii 1911 in audientia utrique infrascripto Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, Sanctissimus Dominus Noster PIUS PP. X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 19 Iunii 1911

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis

23. Responsum IX, *26 Iunii 1912,* de auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangeliorum secundum Marcum et secundum Lucam (4)

408 *Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:*

I. Utrum luculentum traditionis suffragium, inde ab Ecclesiae primordiis mire consentiens ac multiplici argumento firmatum, nimirum disertis Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, citationibus et allusionibus in eorumdem scriptis occurrentibus, veterum haereticorum usu, versionibus Librorum Novi Testamenti, codicibus manuscriptis antiquissimis et pene universis, atque etiam internis rationibus ex ipso Sacrorum Librorum textu desumptis, certo affirmare cogat Marcum, Petri discipulum et inter-

(1) Mt. 16, 17-19.
(2) Mt. 28, 19 s.
(3) Mt. 14, 33.
(4) *Acta Apost. Sedis* 4 (1912) 463-465.

pretem, Lucam vero medicum, Pauli adiutorem et comitem, revera Evangeliorum, quae ipsis respective attribuuntur, esse auctores?

Resp. Affirmative.

II. Utrum rationes, quibus nonnulli critici demonstrare ni- 409
tuntur postremos duodecim versus Evangelii Marci (1) non esse ab ipso Marco conscriptos, sed ab aliena manu appositos, tales sint, quae ius tribuant affirmandi eos non esse ut inspiratos et canonicos recipiendos; vel saltem demonstrent versuum eorumdem Marcum non esse auctorem?

Resp. Negative ad utramque partem.

III. Utrum pariter dubitare liceat de inspiratione et canoni- 410
citate narrationum Lucae de infantia Christi (2), aut de apparitione Angeli Iesum confortantis et de sudore sanguineo (3); vel solidis saltem rationibus ostendi possit — quod placuit antiquis haereticis et quibusdam etiam recentioribus criticis arridet — easdem narrationes ad genuinum Lucae Evangelium non pertinere?

Resp. Negative ad utramque partem.

IV. Utrum rarissima illa et prorsus singularia documenta, in 411
quibus canticum *Magnificat* non Beatae Virgini Mariae, sed Elisabeth tribuitur, ullo modo praevalere possint ac debeant contra testimonium concors omnium fere codicum tum graeci textus originalis, tum versionum, necnon contra interpretationem quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans Ecclesiae traditio?

Resp. Negative.

V. Utrum, quoad ordinem chronologicum Evangeliorum, ab 412
ea sententia recedere fas sit, quae, antiquissimo aeque ac constanti traditionis testimonio roborata, post Matthaeum, qui omnium primus Evangelium suum patrio sermone conscripsit, Marcum ordine secundum et Lucam tertium scripsisse testatur; aut huic sententiae adversari vicissim censenda sit eorum opinio quae asserit Evangelium secundum et tertium ante graecam primi Evangelii versionem esse compositum?

Resp. Negative ad utramque partem.

VI. Utrum tempus compositionis Evangeliorum Marci et Lucae 413
usque ad urbem Ierusalem eversam differre liceat; vel, eo quod

(1) Mc. 16, 9-20.
(2) Lc. 1 et 2.
(3) Lc. 22, 43 s.

apud Lucam prophetia Domini circa huius urbis eversionem magis determinata videatur, ipsius saltem Evangelium obsidione iam inchoata fuisse conscriptum, sustineri possit?

Resp. Negative ad utramque partem.

414 VII. Utrum affirmari debeat Evangelium Lucae praecessisse librum *Actuum Apostolorum*; et cum hic liber, eodem (1) Luca auctore, ad finem captivitatis Romanae Apostoli fuerit absolutus (2), eiusdem Evangelium non post hoc tempus fuisse compositum?

Resp. Affirmative.

415 VIII. Utrum, prae oculis habitis tum traditionis testimoniis, tum argumentis internis, quoad fontes, quibus uterque Evangelista in conscribendo Evangelio usus est, in dubium vocari prudenter queat sententia, quae tenet Marcum iuxta praedicationem Petri, Lucam autem iuxta praedicationem Pauli scripsisse, simulque asserit iisdem Evangelistis praesto fuisse alios quoque fontes fide dignos, sive orales sive etiam iam scriptis consignatos?

Resp. Negative.

416 IX. Utrum dicta et gesta, quae a Marco iuxta Petri praedicationem accurate et quasi graphice enarrantur, et a Luca, *assecuto omnia a principio diligenter* per testes fide plane dignos, quippe *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* (3) sincerissime exponuntur, plenam sibi eam fidem historicam iure vindicent, quam eisdem semper praestitit Ecclesia; an e contrario eadem facta et gesta censenda sint historica veritate, saltem ex parte, destituta, sive quod scriptores non fuerint testes oculares, sive quod apud utrumque Evangelistam defectus ordinis ac discrepantia in successione factorum haud raro deprehendantur, sive quod, cum tardius venerint et scripserint, necessario conceptiones menti Christi et Apostolorum extraneas aut facta plus minusve iam imaginatione populi inquinata referre debuerint, sive demum quod dogmaticis ideis praeconceptis, quisque pro suo scopo, indulserint?

Resp. Affirmative ad primam partem, negative ad alteram.

(1) Act. 1, 1 s.
(2) Act. 28, 30 s.
(3) Lc. 1, 2 s.

24. Responsum X, ***eodem die 26 Iunii 1912,*** **de quaestione synoptica sive de mutuis relationibus inter tria priora Evangelia** (1)

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit: 417

I. Utrum, servatis, quae iuxta praecedenter statuta omnino servanda sunt, praesertim de authenticitate et integritate trium Evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae, de identitate substantiali Evangelii graeci Matthaei cum eius originali primitivo, necnon de ordine temporum, quo eadem scripta fuerunt, ad explicandum eorum ad invicem similitudines aut dissimilitudines, inter tot varias oppositasque auctorum sententias, liceat exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis vel etiam dependentiae unius a praecedenti seu a praecedentibus appellare?

Resp. Affirmative.

II. Utrum ea quae superius statuta sunt, ii servare censeri debeant, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim vulgo *duorum fontium* nuncupatam, quae compositionem Evangelii graeci Matthaei et Evangelii Lucae ex eorum potissimum dependentia ab Evangelio Marci et a collectione sic dicta sermonum Domini contendit explicare, ac proinde eam libere propugnare valeant? 418

Resp. Negative ad utramque partem.

Die autem 26 Iunii anni 1912, in audientia utrique Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, SSmus Dominus Noster PIUS PP. X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 26 Iunii 1912

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis

25. Responsum XI, ***12 Iunii 1913,*** **de auctore, de tempore compositionis et de historica veritate libri Actuum Apostolorum** (2)

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit: 419

(1) *Acta Apost. Sedis* 4 (1912) 465.
(2) *Acta Apost. Sedis* 5 (1913) 291 s.

I. Utrum, perspecta potissimum Ecclesiae universae traditione usque ad primaevos ecclesiasticos scriptores assurgente, attentisque internis rationibus libri Actuum sive in se sive in sua ad tertium Evangelium relatione considerati et praesertim mutua utriusque prologi affinitate et connexione [1], uti certum tenendum sit volumen, quod titulo *Actus Apostolorum*, seu Πράξεις Ἀποστόλων, praenotatur, Lucam evangelistam habere auctorem?

Resp. Affirmative.

420 II. Utrum criticis rationibus, desumptis tum ex lingua et stilo, tum ex enarrandi modo, tum ex unitate scopi et doctrinae, demonstrari possit librum Actuum Apostolorum uni dumtaxat auctori tribui debere, ac proinde eam recentiorum scriptorum sententiam, quae tenet Lucam non esse libri auctorem unicum, sed diversos esse agnoscendos eiusdem libri auctores, quovis fundamento esse destitutam?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

421 III. Utrum, in specie, pericopae in Actis conspicuae, in quibus, abrupto usu tertiae personae, inducitur prima pluralis (*Wirstücke*), unitatem compositionis et authenticitatem infirment, vel potius historice et philologice consideratae, eam confirmare dicendae sint?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

422 IV. Utrum ex eo, quod liber ipse, vix mentione facta biennii primae romanae Pauli captivitatis, abrupte clauditur, inferri liceat auctorem volumen alterum deperditum conscripsisse, aut conscribere intendisse, ac proinde tempus compositionis libri Actuum longe possit post eamdem captivitatem differri, vel potius iure et merito retinendum sit Lucam sub finem primae captivitatis romanae Apostoli Pauli librum absolvisse?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

423 V. Utrum, si simul considerentur tum frequens ac facile commercium quod procul dubio habuit Lucas cum primis et praecipuis ecclesiae Palaestinensis fundatoribus nec non cum Paulo, gentium Apostolo, cuius et in evangelica praedicatione adiutor et in itineribus comes fuit, tum solita eius industria et diligentia in exquirendis testibus rebusque suis oculis observandis, tum denique plerumque evidens et mirabilis consensus libri Actuum cum ipsis Pauli epistolis et cum sincerioribus historiae monumentis, certo teneri debeat Lu-

(1) Lc. 1, 1-4; Act. 1, 1 s.

cam fontes omni fide dignos prae manibus habuisse eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse, adeo ut plenam auctoritatem historicam sibi iure vindicet?

Resp. Affirmative.

VI. Utrum difficultates, quae passim obiici solent tum ex factis 424
supernaturalibus a Luca narratis, tum ex relatione quorumdam sermonum, qui, cum sint compendiose traditi, censentur conficti et circumstantiis adaptati, tum ex nonnullis locis ab historia sive profana sive biblica apparenter saltem dissentientibus, tum demum ex narrationibus quibusdam, quae sive cum ipso Actuum auctore sive cum aliis auctoribus sacris pugnare videntur, tales sint, ut auctoritatem Actuum historicam in dubium revocare vel saltem aliquomodo minuere possint?

Resp. Negative.

26. Responsum XII, *eodem die 12 Junii 1913,* **de auctore, de integritate et de compositionis tempore epistolarum pastoralium Pauli Apostoli** (1)

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio de 425
Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. Utrum prae oculis habita Ecclesiae traditione inde a primordiis universaliter firmiterque perseverante, prout multimodis ecclesiastica monumenta vetusta testantur, teneri certo debeat epistolas quae pastorales dicuntur, nempe ad Timotheum utramque et aliam ad Titum, non obstante quorumdam haereticorum ausu, qui eas, utpote suo dogmati contrarias, de numero Paulinarum epistolarum, nulla reddita causa, eraserunt, ab ipso Apostolo Paulo fuisse conscriptas et inter genuinas et canonicas perpetuo recensitas?

Resp. Affirmative.

II. Utrum, hypothesis sic dicta fragmentaria, a quibusdam re- 426
centioribus criticis invecta et varie proposita, qui nulla ceteroquin probabili ratione, immo inter se pugnantes, contendunt epistolas pastorales posteriori tempore ex fragmentis epistolarum sive ex epistolis paulinis deperditis ab ignotis auctoribus fuisse contextas et notabiliter auctas, perspicuo et firmissimo traditionis testimonio aliquod vel leve praeiudicium inferre possit?

Resp. Negative.

(1) *Acta Apost. Sedis* 5 (1913) 292 s.

427 III. Utrum difficultates quae multifariam obiici solent, sive ex stilo et lingua auctoris, sive ex erroribus praesertim Gnosticorum, qui uti iam tunc serpentes describuntur, sive ex statu ecclesiasticae hierarchiae, quae iam evoluta supponitur, aliaeque huiuscemodi in contrarium rationes, sententiam, quae genuinitatem epistolarum pastoralium ratam certamque habet, quomodolibet infirment?

Resp. Negative.

428 IV. Utrum, cum non minus ex historicis rationibus quam ex ecclesiastica traditione, SS. Patrum orientalium et occidentalium testimoniis consona, necnon ex indiciis ipsis, quae tum ex abrupta conclusione libri Actuum, tum ex paulinis epistolis Romae conscriptis, et praesertim ex secunda ad Timotheum, facile eruuntur, uti certa haberi debeat sententia de duplici romana captivitate Apostoli Pauli, tuto affirmari possit epistolas pastorales conscriptas esse in illo temporis spatio, quod intercedit inter liberationem a prima captivitate et mortem Apostoli?

Resp. Affirmative.

Die autem 12 Iunii anni 1913, in audientia infrascripto Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, SSmus Dominus Noster PIUS PP. X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 12 Iunii 1913

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B., *Consultor ab Actis*

27. Responsum XIII, *24 Iunii 1914,* **de auctore et modo compositionis epistolae ad Hebraeos** (1)

429 *Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:*

I. Utrum dubiis, quae primis saeculis, ob haereticorum imprimis abusum, aliquorum in Occidente animos tenuere circa divinam inspirationem ac Paulinam originem epistolae ad Hebraeos, tanta vis tribuenda sit, ut, attenta perpetua, unanimi ac constanti orientalium Patrum affirmatione, cui post saeculum IV totius occidentalis Ecclesiae plenus accessit consensus, perpensis quoque Summorum Pontificum sacrorumque Conciliorum, Tridentini prae-

(1) *Acta Apost. Sedis* 6 (1914) 417 s.

sertim, actis, necnon perpetuo Ecclesiae universalis usu, haesitare liceat, eam non solum inter canonicas, — quod de fide definitum est, — verum etiam inter genuinas Apostoli Pauli epistolas certo recensere?

Resp. Negative.

II. Utrum argumenta, quae desumi solent sive ex insolita 430
nominis Pauli absentia et consueti exordii salutationisque omissione in epistola ad Hebraeos, — sive ex eiusdem linguae graecae puritate, dictionis ac stili elegantia et perfectione, — sive ex modo quo in ea Vetus Testamentum allegatur et ex eo arguitur, — sive ex differentiis quibusdam, quae inter huius ceterarumque Pauli epistolarum doctrinam exsistere praetenduntur, aliquomodo eiusdem Paulinam originem infirmare valeant, an potius perfecta doctrinae ac sententiarum consensio, admonitionum et exhortationum similitudo, necnon locutionum ac ipsorum verborum concordia a nonnullis quoque acatholicis celebrata, quae inter eam et reliqua Apostoli Gentium scripta observantur, eamdem Paulinam originem commonstrent atque confirment?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad alteram.

III. Utrum Paulus Apostolus ita huius epistolae auctor cen- 431
sendus sit, ut necessario affirmari debeat, ipsum eam totam non solum Spiritu Sancto inspirante concepisse et expressisse, verum etiam ea forma donasse, qua prostat?

Resp. Negative, salvo ulteriori Ecclesiae iudicio.

Die autem 24 Iunii anni 1914, in audientia infrascripto Rmo Consultori ab Actis benigne concessa, SSmus Dominus Noster PIUS PP. X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 24 Iunii 1914

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.,
Consultor ab Actis

BENEDICTUS XV, 1914-1922

1. Pont. Commissio de Re Bibl.

Responsum XIV, *18 Iunii 1915,* **de parousia seu de secundo adventu D. N. Iesu Christi in epistolis S. Pauli Apostoli** (1)

432 *Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:*

I. Utrum ad solvendas difficultates, quae in epistolis sancti Pauli aliorumque Apostolorum occurrunt, ubi de *parousia* ut aiunt, seu de secundo adventu D. N. Iesu Christi, sermo est, exegetae catholico permissum sit adserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit?

Resp. Negative.

433 II. Utrum, prae oculis habitis genuina muneris apostolici notione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri, dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum, quo omne id, quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto, perpensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse, quod non perfecte concordet cum illa temporis parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit?

Resp. Affirmative.

434 III. Utrum, attenta locutione graeca «ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι», perpensa quoque expositione Patrum, imprimis sancti Ioannis Chrysostomi, tum in patrio idiomate, tum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tamquam longius petitam et solido fundamento destitutam reicere interpretationem in scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI retentam), quae verba sancti Pauli in 1 Thess. 4, 15-17 explicat quin ullo modo involvat affirmationem parousiae tam proximae

(1) *Acta Apost. Sedis* 7 (1915) 357 s.

ut Apostolus seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis, qui superstites ituri sunt obviam Christo?

Resp. Negative.

Die autem 18 Iunii 1915, in audientia infrascripto Rmo Consultori ab Actis benigne concessa, SSmus Dominus Noster BENEDICTUS PP. XV praedicta responsa rata habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 18 Iunii 1915.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.,
Abb. tit. Montis Blandini, Consultor ab Actis.

2. Litterae Apostolicae « Cum Biblia Sacra » *15 Aug. 1916:* **Latis novis legibus de Pont. Instituto Biblico, decernitur quae intercedere debeant rationes tum eidem Instituto, tum Pont. Consilio Vulgatae restituendae, cum supremo Pontificio Consilio rei biblicae provehendae** (1)

Cum Biblia Sacra a rationalistis, qui quidem nullam Dei nec revelationem nec inspirationem ponunt, sic recentiore memoria tractarentur, quasi a solis hominum ingeniis profecta essent, eorumque commenta, omni apparatu eruditionis instructa, latius in dies, cum gravissima imperitorum offensione, serperent, Apostolici officii conscientia permotus, decessor Noster Leo XIII, ut huic tantae tamque perniciosae temeritati occurreret, Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus,* die 18 mensis Novembris a. 1893 datis, certa quaedam posuit illustravitque principia, quibus parere omnes oporteret, quicumque se ad studium et interpretationem Divinarum Litterarum contulissent. Eiusmodi autem incommodis quotidie ingravescentibus, idem Pontifex, ne ulli providentiae modo pepercisse videretur, Litteris Apostolicis *Vigilantiae studiique memores,* die 30 mensis Octobris a. 1902 datis, Consilium seu *Commissionem,* quam vocant, studiis Sacrae Scripturae provehendis instituit, cui universa rei biblicae cura propria esset ac peculiaris. Optimum sane propositum uberrimi, ut exspectare par erat, consecuti sunt laetissimique fructus, cum Cardinales aliique doctissimi viri, in id Consilium adlecti, hoc spatio temporis, plura ediderint, post maturam deliberationem Romanoque Pontifice adpro- 435

(1) *Acta Apost. Sedis* 8 (1916) 305-308.

bante, responsa, quibus et quaestiones satis multae, antehac in contrarias partes agitatae, sunt opportune diremptae, et leges studiis catholicorum doctorum biblicis dirigendis sapienter utiliterque praefinitae.

436 Neque vero actuosa Pontificii Consilii opera hos intra fines constitit. Anno enim 1907, auctore atque auspice fel. rec. decessore Nostro Pio X, decrevit, ut Bibliorum a S. Hieronymo in Latinum facta conversio, quae *Vulgatae* nomen invenit, antiquis praesertim codicibus inspectis, ad pristinam lectionem restitueretur. Quod quidem munus, laboriosum sane ac perarduum, sodalibus Benedictinis auspicato delatum est, qui, nullo palaeographiae cognatarumque doctrinarum neglecto praesidio, remotisque omnibus, quae in re tam gravi necessario obstarent, impedimentis, admirabili, qua solent, et sollertia et constantia, inceptum, acatholicis ipsis probatissimum, persequuntur [1].

437 Haud ita multo post, cum eidem Pontifici visum esset expeditiorem clericis aperire viam, ut omnibus saepti munimentis propugnationem pro Scriptura Sacra susciperent, suasore eodem Pontificio Consilio, Litteris Apostolicis *Vinea electa*, datis die 7 mensis Maii a. 1909, Institutum Biblicum in hac alma Urbe condidit, illudque non modo apparatissimis aedibus bibliothecaque singulari et fere unica instruxit, sed locupletavit etiam eo omni eruditionis biblicae instrumento, quod ad pleniorem intelligentiam validioremque Librorum Sacrorum tuitionem quam maxime conferret. Societatis Iesu sodalibus, praeclare de disciplinis sacris deque clericorum institutione meritis, mandavit, Instituto praeessent, docerent; [2] qui Pontificis bonorumque omnium ita exspectationem explevere, ut iam, haud longo intervallo, complures eosque peritissimos in Ecclesiae campum horum studiorum cultores dimiserint.

438 Haec omnia diligenter animo reputantibus, occurrit Nobis cogitatio, quo pacto possemus instituta tanti ponderis sic complere ac perficere, ut parta antehac Ecclesiae Dei magno numero commoda uberiorum accessione utilitatum cumularentur: quod si fecissemus, videbamur rem certe facturi a mente proximi Decessoris Nostri minime alienam, quandoquidem constat, plura hac in re Pontificem statuisse ea lege, ut, quemadmodum vel condicio tem-

(1) V. supra n. 178 s. 285 s.
(2) V. supra n. 293-331.

porum vel rerum usus et experientia postulasset, ita corrigerentur, perficerentur. Deliberatum igitur Nobis est, nonnulla constituere, quibus tum Instituti in primis Biblici efficientiam virtutemque, quantum fieri potest, augeamus, tum etiam mutuas rationes et necessitudines moderemur, quae et eidem Instituto et Pontificio Consilio Vulgatae restituendae praeposito cum supremo Nostro de universa re biblica Consilio intercedant oportet.

Itaque, salvis iis omnibus, quae, antea quoquo modo sancita, ab hisce Litteris Nostris minime discrepent, haec Apostolica Auctoritate Nostra edicimus ac decernimus, quae sequuntur :

I. Ad Scripturae Sacrae studia in Instituto Biblico ne admit- 439
tantur, nisi qui ordinarium studiorum philosophiae et theologiae cursum confecerint.

II. Studiorum biblicorum curriculum tribus ibidem annis ab- 440
solvatur, servata tradendarum disciplinarum ratione, quae, Nostro rei biblicae provehendae Consilio probata, ad hunc diem viguit ; unoquoque autem exeunte anno, fiat, uti assolet, doctrinae experimentum.

III. Iis penitus abrogatis, quae continentur tum Litteris Apo- 441
stolicis *Iucunda sane* die 22 mensis Martii a. 1911 et *Ad Pontificium Institutum Biblicum* die 2 mensis Iunii a. 1912 datis, tum aliis Litteris, quae huic voluntatis Nostrae significationi haud congruant, Instituto Biblico largimur, ut alumnis, qui facto periculo probati sint, post primum annum det litteras testimoniales legitimi adscensus, post alterum vero, academicum conferat Baccalaureatus gradum.

IV. Litteris Apostolicis *Scripturae Sanctae*, die 23 mensis Fe- 442
bruarii a. 1904 datis [1], derogantes, Instituto Biblico concedimus, ut discipulis, qui integrum ibidem studiorum curriculum confecerint, tentata eorum doctrina eademque probata, academicum in Sacra Scriptura Prolytatus gradum, nomine tamen Pontificii Consilii Biblici, decernat.

V. Testimoniales Litterae et diplomata academicorum gra- 443
duum, de quibus nn. III et IV sermo est, in eam sententiam edantur, quam Pontificium Consilium Biblicum antea probaverit.

VI. Iudiciis, quibus in Instituto Biblico candidatorum ad pro- 444
lytatum doctrina explorabitur, unus aliquis e consultoribus Pontificii Consilii Biblici, quem Cardinales e Consilio eodem delegerint,

(1) V. supra n. 142-150.

continenter intersit et suffragium ferat, ut ceteri.

VII. Quemvis academicum in Sacra Scriptura gradum conferri
445 ne liceat nisi iis, quos legitime constet Laurea sacrae theologiae potitos esse in aliquo Athenaeo ab Apostolica Sede adprobato. Si quis autem eam Lauream vel alium similem titulum sit alibi consecutus, res ad Pontificium Consilium Biblicum iudicanda deferatur.

VIII. Ius Laureae in Sacra Scriptura impertiendae uni esto
446 Supremo Nostro rei biblicae provehendae Consilio, quod item perget ad experimentum admittere eos ad Prolytatum candidatos, qui Sacrae Scripturae studiis extra Institutum Biblicum vacaverint.

IX. Nemini liceat suam periclitari doctrinam, Laureae in Scrip-
447 tura Sacra potiundae causa, nisi saltem biennio ante Prolyta renuntiatus sit, simulque vel rem biblicam docuerit vel aliquam de eadem elucubrationem ediderit.

X. Professores ordinarii Sacrae Scripturae in Instituto Biblico
448 tradendae a Praeposito Generali Societatis Iesu, uti antehac, eligantur; accedat tamen Pontificii Consilii assensus.

XI. Tum Pontificium Consilium Vulgatae restituendae tum
449 Pontificium Institutum Biblicum, quotannis, ad supremum Nostrum rei biblicae provehendae Consilium de opera et condicione sua, deque rebus maioris momenti universis, scripto plene absoluteque referant.

Quae vero in hac causa statuere ac decernere visum est, ea omnia et singula, uti statuta et decreta sunt, ita rata et firma esse ac manere volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die 15 mensis Augusti anno 1916, Pontificatus Nostri secundo.

P. Card. Gasparri, *a Secretis Status.*

3. Ex Codice Iuris Canonici *27 Maii 1917.*

450 Lib. III: de Rebus. Pars VI: de Magisterio Ecclesiastico. — Tit. XXI: De Seminariis.

Can. 1365, § *2.* Cursus theologicus saltem integro quadriennio contineatur, et praeter theologiam dogmaticam et moralem complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici.

451 *Can. 1366,* § *3.* Curandum ut saltem sacrae Scripturae, theo-

logiae dogmaticae, theologiae moralis, et historiae ecclesiasticae, totidem habeantur distincti magistri.

TIT. XXIII: DE PRAEVIA CENSURA LIBRORUM EORUMQUE PROHIBITIONE. 452

Can. 1385, § 1. Nisi censura ecclesiastica praecesserit, ne edantur etiam a laicis:

1° Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria;

2° Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam... spectant...

453

Can. 1391. Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

454

Can. 1399. Ipso iure prohibentur:

1° Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatae; itemque eiusdem versiones in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae...

455

Can. 1400. Usus librorum de quibus in can. 1399 n. 1, ac librorum editorum contra praescriptum can. 1391, iis dumtaxat permittitur qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata.

LIB. V. PARS. III: DE POENIS IN SINGULA DELICTA. TIT. XI: DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET UNITATEM ECCLESIAE. 456

Can. 2318, § 2. Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

4. Litterae Encyclicae « Spiritus Paraclitus », *15 Sept. 1920,* **in natali MD S. Hieronymi Ecclesiae Doctoris** (1)

Spiritus Paraclitus, cum genus humanum, ut arcanis divinitatis imbueret, Sacris Litteris locupletasset, sanctissimos doctissimosque viros, labentibus saeculis, non paucos providentissime exci- 457

(1) *Acta Apost. Sedis* 12 (1920) 385-422.

tavit, qui non modo caelestem illum thesaurum iacere sine fructu ([1]) non sinerent, sed suis et studiis et laboribus *consolationem* inde *Scripturarum* ([2]) Christifidelibus uberrimam compararent. Hos inter, principem sane, communi omnium consensu, locum obtinet Sanctus Hieronymus, quem Doctorem Maximum Sacris Scripturis explanandis divinitus sibi datum catholica agnoscit et veneratur Ecclesia.

Iamvero, cum ab eius obitu plenum proxime quintum et decimum saeculum commemoraturi simus. nolumus, Venerabiles Fratres, singularem opportunitatem praetermittere, quin de Hieronymi in scientia Scripturarum laudibus ac promeritis vos data opera alloquamur. Conscientiâ enim apostolici muneris impellimur, ut, ad nobilissimam hanc disciplinam provehendam, insigni tanti viri exemplum ad imitandum proponamus, et quae fel. rec. decessores Nostri Leo XIII et Pius X monita et praescripta hoc in genere utilissima ediderunt, eadem, apostolica Nostra auctoritate, confirmemus et ad haec Ecclesiae tempora pressius aptemus.

Etenim Hieronymus, « vir maxime catholicus et sacrae legis peritissimus » ([3]) atque « catholicorum magister » ([4]) itemque « morum exemplar mundique magister » ([5]), cum catholicam de Sacris Libris doctrinam mirifice illustrarit acriterque defenderit, documenta sane plurima, eaque gravissima, Nobis affert, quae quidem usurpando, filios Ecclesiae universos, clericos potissimum, ad Scripturae Divinae reverentiam, cum pia lectione assiduaque commentatione coniunctam, hortemur.

458 Nostis, Venerabiles Fratres, Hieronymum Stridone natum, in oppido « Dalmatiae quondam Pannoniaeque confinio » ([6]), et ab ipsis incunabulis catholico lacte nutritum ([7]), postquam Christi vestem in hac alma Urbe de sacro fonte suscepit ([8]), quoad longissime vixit, quidquid habuit virium, id in Sacris Bibliis perscrutandis, exponendis vindicandisque adhibuisse.

([1]) *Conc. Trid.* s. 5 decr. de reform. c. 1; v. supra n. 50.
([2]) Rom. 15, 4.
([3]) SULP. SEV., *Dial.* 1, 7 (Corp. 1, 159; PL 20, 188 C).
([4]) IOH. CASSIAN., *De Inc.* 7, 26 (Corp. 12, 384; PL 50, 256 A).
([5]) S. PROSPER, *Carmen de ingratis* v. 57 (PL 51, 98 A).
([6]) *De viris ill.* 135 (PL 23, 715 s.).
([7]) *Ep.* 82 *ad Theophilum* 2, 2 (Corp. 55, 109; PL 22, 737).
([8]) *Ep.* 15 *ad Damasum* 1, 1; *ep.* 16 *ad eumdem* 2, 1 (Corp. 54, 63. 69; PL 22, 355. 358).

Is latinis graecisque litteris Romae eruditus, vixdum ex rhetorum schola egressus erat, cum, adhuc adolescens, Abdiam prophetam interpretari conatus est: qua ex « puerilis ingenii » exercitatione (1) ita in eo crevit Scripturarum amor, ut, veluti invento thesauro secundum evangelicam imaginem, « omnia istius mundi emolumenta » (2) pro ea contemnenda sibi esse duxerit.

Quamobrem, nulla deterritus asperitate consilii, cum domum, parentes, sororem, propinquos dereliquit, tum a consuetudine lautioris cibi recessit, et in sacras Orientis regiones transmigravit, ut divitias Christi et Salvatoris scientiam in lectione et studio Bibliorum sibi pararet ampliores (3).

Qua in re quantum desudaverit, haud semel ipse describit: « Miro discendi ferebar ardore, nec iuxta quorumdam praesumptionem ipse me docui. Apollinarium Laodicenum audivi Antiochiae frequenter et colui, et cum me in Sanctis Scripturis erudiret, nunquam illius contentiosum super sensu dogma suscepi » (4).

Inde in regionem Chalcidis desertam Syriae orientalis regressus, ut verbi divini sensum perfectius assequeretur, simulque ut aetatis aestum studiorum assiduitate coerceret, cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, in disciplinam se tradidit, ut hebraicum et chaldaicum quoque sermonem edisceret. « Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim quotiesque cessaverim et contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus capio » (5).

Cum autem ab haereticorum turbis ne in ea quidem soli- 549
tudine quiescere sibi liceret, Constantinopolim se contulit, ubi Sanctum Gregorium Theologum, illius Sedis Antistitem, qui summa doctrinae laude ac gloria floreret, ad Sacrarum Litterarum interpretationem, fere triennium, ducem ac magistrum adhibuit; quo tempore Origenis in prophetas Homilias et Eusebii Chronicon Latine reddidit, et Isaiae de Seraphim visionem edisseruit.

(1) *In Abd Prol.* (PL 25, 1097 s.).
(2) *In Mt.* 13, 44 (PL 26, 94 C).
(3) *Ep.* 22 *ad Eustochium* 30, 1 (Corp. 54, 189; PL 22, 416).
(4) *Ep.* 84 *ad Pammachium et Oceanum* 3, 1 (Corp. 55, 122 s.; PL 22, 745).
(5) *Ep.* 125 *ad Rusticum* 12 (Corp. 56, 131; PL 22, 1079).

Romam autem ob rei christianae necessitates cum revertisset, a Damaso Pontifice familiariter exceptus, et in gerendis Ecclesiae negotiis est adhibitus (1). Quibus etsi summopere distinebatur, nullo tamen pacto cum Divinos pervolutare Libros (2) codicesque exscribere et inter se comparare (3), tum quaestiones sibi propositas dirimere et discipulos ex utroque sexu ad Bibliorum cognitionem informare desiit (4); laboriosissimam vero provinciam sibi a Pontifice mandatam Latinae Novi Testamenti versionis emendandae, tam acri subtilique iudicio est exsecutus, ut recentiores ipsi huius disciplinae existimatores Hieronymianum opus quotidie magis admirentur plurisque faciant.

460 Sed, quoniam ad sancta Palaestinae loca omni cogitatione desiderioque ferebatur, Damaso vita functo, Hieronymus Bethlehem concessit, ubi, coenobio apud Christi cunabula condito, totum Deo se devovit et, quantum ab orando superesset temporis, id omne in Bibliis ediscendis docendisque insumpsit. Nam, ut iterum de se ipse testatur, « iam canis spargebatur caput, et magistrum potius quam discipulum decebat; perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum. In multis ei gratias ago. Quod nescivi, didici; quod sciebam, illo diversum docente non perdidi. Putabant me homines finem fecisse discendi; rursum Ierosolymae et Bethlehem quo labore, quo pretio Baraninam nocturnum habui praeceptorem! Timebat enim Iudaeos et mihi alterum exhibebat Nicodemum » (5).

Neque vero in horum aliorumque doctorum institutione praeceptisque acquievit, sed praeterea subsidia omne genus adhibuit ad proficiendum utilia; praeterquam enim quod inde ab initio codices commentariosque Bibliorum optimos sibi comparaverat, libros quoque synagogarum et volumina bibliothecae Caesareensis ab Origene et Eusebio collectae evolvit, ut, comparatione eorum codicum cum suis instituta, germanam textus biblici formam verumque sensum erueret.

(1) *Ep.* 123 *ad Geruchiam* 9 al. 10; *ep.* 122 *ad Principiam* 2, 1 (Corp. 56, 82. 150; PL 22, 1052. 1091).

(2) *Ep.* 127 *ad Principiam* 7, 1 s. (Corp. 56, 150 s.; PL 22, 1091).

(3) *Ep.* 36 *ad Damasum* 1; *ep.* 32 *ad Marcellam* 1 (Corp. 54, 268. 252; PL 22. 452. 446).

(4) *Ep.* 45 *ad Asellam* 2; *ep.* 126 *ad Marcellinum et Anapsychiam* 3; *ep.* 127 *ad Principiam* 7 (Corp. 54. 324; 56, 145. 150 s.; PL 22, 481. 037. 1091).

(5) *Ep.* 84 *ad Pammachium et Oceanum* 3. 1 s. (Corp. 55, 123; PL 22, 745).

Quem ut plenius assequeretur, Palaestinam, qua late patet, peragravit, cum id sibi haberet persuasissimum, quod ad Domnionem et Rogatianum scribebat: « Sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus est et antiquarum urbium memorias locorumque vel eadem vocabula vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam quam universae Christi ecclesiae sonant » ([1]).

Hieronymus igitur suavissimo illo pabulo animum continenter pascere, Pauli Epistolas explanare, Veteris Testamenti latinos codices e graecorum lectione emendare librosque fere omnes ex hebraica veritate denuo in latinum sermonem convertere, Sacras Litteras coeuntibus fratribus quotidie edisserere, ad epistolas rescribere, quae undique quaestiones de Scriptura dirimendas afferrent, unitatis ac doctrinae catholicae oppugnatores acriter refellere; neque — tantum apud eum potuit Bibliorum amor — a scribendo vel dictando ante desistere, quam manus obriguerint et vox morte intercepta sit.

Ita, nullis parcens nec laboribus nec vigiliis nec sumptibus, ad summam usque senectutem, in lege Domini noctu diuque apud Praesepe meditanda perseveravit, maioribus e solitudine illa effusis in catholicum nomen, per vitae exempla et scripta, utilitatibus, quam si Romae, in capite orbis terrarum, aevum exegisset.

Vita rebusque gestis Hieronymi vix delibatis, iam, Vene- 461
rabiles Fratres, ad considerandam eius doctrinam de divina dignitate atque absoluta Scripturarum veritate veniamus.

Qua in re nullam profecto in scriptis Doctoris Maximi paginam reperias, unde non liqueat, eum cum universa catholica Ecclesia firmiter constanterque tenuisse, Libros Sacros, Spiritu Sancto inspirante conscriptos, Deum habere auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditos esse ([2]). Asseverat nimirum codicis sacri libros Spiritu Sancto inspirante vel suggerente vel insinuante vel etiam dictante compositos esse, immo ab Ipso conscriptos et editos; sed nihil praeterea dubitat, quin singuli eorum auctores, pro sua quisque natura atque ingenio, operam afflanti Deo libere navarint.

(1) *Ad Domnionem et Rogatianum in l. Paral. Praef.* (PL 29, 401 A).

(2) *Conc. Vat.* s. 3 Const. de fide cath. cap. 2 de revelatione. V. supra n. 62.

Etenim non modo id universe affirmat quod omnibus sacris scriptoribus commune est, ipsos in scribendo Dei Spiritum secutos, ut omnis sensus omniumque sententiarum Scripturae Deus causa princeps habendus sit; sed etiam, quod uniuscuiusque proprium est, accurate dispicit. Nam singillatim, in rerum compositione, in lingua, in ipso genere ac forma loquendi ita eos suis quemque facultatibus ac viribus usos esse ostendit, ut propriam uniuscuiusque indolem et veluti singulares notas ac lineamenta, praesertim prophetarum et Apostoli Pauli, inde colligat ac describat.

Quam quidem Dei cum homine communitatem laboris ad unum idemque opus conficiendum, Hieronymus comparatione illustrat artificis, qui in aliqua re factitanda organo seu instrumento utitur; quicquid enim scriptores sacri loquuntur, « Domini sunt verba, et non sua, et quod per os ipsorum dicit, quasi per organum Dominus est locutus » (1).

Quod si etiam inquirimus, qua ratione haec Dei, uti causae principis, virtus atque actio in hagiographum sit intelligenda, cernere licet, inter Hieronymi verba et communem de inspiratione catholicam doctrinam nihil omnino interesse, cum ipse teneat, Deum, gratia collata, scriptoris menti lumen praeferre ad verum quod attinet « ex persona Dei » hominibus proponendum; voluntatem praeterea movere atque ad scribendum impellere; ipsi denique peculiariter continenterque adesse, donec librum perficiat. Quo potissimum ex capite sanctissimus vir summam Scripturarum praestantiam ac dignitatem infert, quarum scientiam thesauro pretioso (2) et nobili margaritae (3) aequiparat, in iisque asserit divitias Christi (4) et « argentum, quo domus Dei ornatur » (5) inveniri.

462 Praecellentissimam vero earum auctoritatem sic verbis et exemplo commendabat, ut, quaecumque oriebatur controversia, ad Biblia veluti ad confertissimum armamentarium confugeret, et tes-

(1) *Tract. de Ps.* 88 (Anecd. Mareds. 3, 3, 53).

(2) *In Mt.* 13, 44 (PL 26, 94 C); *tract. de Ps.* 77 (Anecd. Mareds. 3, 2, 62; cf. ib. 57).

(3) *In Mt.* 13, 45 s. (PL 26, 94 s.).

(4) *Quaest. in Gen., Praef.* (PL 23, 936 A).

(5) *In Agg.* 2, 1 ss. (PL 25, 1404 C); cf. *in Gal.* 2, 10 (PL 26, 338 AB) etc.

timoniis inde eductis, tamquam firmissimis argumentis, quibus refragari minime liceret, ad coarguendos adversariorum errores uteretur.

Ita Helvidio perpetuam Deiparae virginitatem neganti, aperte ac simpliciter: « Ut haec quae scripta sunt, non negamus, ita ea quae non sunt scripta, renuimus. Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus. Mariam nupsisse post partum, non credimus. quia non legimus » (1).

Iisdem vero armis contra Iovinianum pro doctrina catholica de statu virginali, de perseverantia, de abstinentia deque bonorum operum merito se spondet acerrime propugnaturum: « Adversus singulas propositiones eius, Scripturarum vel maxime nitar testimoniis, ne querulus garriat, se eloquentia magis quam veritate superatum » (2). Atque in libris suis contra eundem haereticum defendendis « quasi vero », scribit, « rogandus fuerit, ut mihi cederet, et non invitus et repugnans in veritatis vincula ducendus » (3).

De universa autem Scriptura, in Ieremiae commentario, quem morte prohibitus est absolvere: « Nec parentum nec maiorum error sequendus est, sed auctoritas Scripturarum et Dei docentis imperium » (4). Et viam rationemque adversus hostes dimicandi sic Fabiolam docet: « Cum Divinis Scripturis fueris eruditus et leges earum ac testimonia vincula scieris veritatis, contendes cum adversariis, ligabis eos et vinctos duces in captivitatem et de hostibus quondam atque captivis liberos Dei facies » (5).

Porro cum divina Sacrorum Librorum inspiratione summa- 463
que eorundem auctoritate docet Hieronymus immunitatem et omni ab errore et fallacia vacuitatem necessario cohaerere: quod, uti a Patribus traditum communiterque receptum, in celeberrimis Occidentis Orientisque schòlis didicerat.

Et sane, cum, post inceptam, Damasi Pontificis mandato, Novi Testamenti recognitionem, quidam « homunculi » ipsum studiose obiurgarent, quod « adversus auctoritatem veterum et totius mundi opinionem aliqua in Evangeliis emendare » tentasset, paucis respon-

(1) *Adv. Helv.* 19 (PL 23, 203 A).
(2) *Adv. Iovin.* 1, 4 (PL 23, 215 A).
(3) *Ep.* 49. al. 48 *ad Pammachium* 14, 1 (Corp. 54, 371; PL 22, 503).
(4) *In Ier.* 9, 12-14 (Corp. 59, 123; PL 24, 743 D).
(5) *Ep.* 78 *ad Fabiolam* 30. al. 28. mansio (Corp. 55. 73; PL 22, 714 s.).

dit, non adeo se hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis, ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putasset aut non divinitus inspiratum (1). Primam vero Ezechielis visionem de quatuor Evangeliis exponens, « totum autem corpus », animadvertit, « et dorsa plena oculis adprobabit, qui viderit nihil esse in Evangeliis, quod non luceat et splendore suo mundum illuminet: ut etiam, quae parva putantur et vilia, Spiritus Sancti fulgeant maiestate » (2).

Iam quae de Evangeliis inibi affirmat, eadem de omnibus aliis « Dominicis verbis » in singulis commentariis profitetur, ut catholicae interpretationis legem ac fundamentum; et hac ipsa veritatis nota germanus propheta, Hieronymo auctore, a falso internoscitur (3). Nam « Domini verba sunt vera, et eius dixisse, fecisse est » (4). Itaque « Scriptura mentiri non potest » (5), et nefas est dicere Scripturam mentiri (6), immo solum errorem nominis in eius verbis admittere (7).

464 Addit praeterea Sanctus Doctor, se « aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores » idest profanos; « illos semper vera dicere, istos in quibusdam, ut homines, aberrare » (8); et licet multa in Scripturis dicantur, quae videntur incredibilia, tamen vera esse (9); in hoc « verbo veritatis » nullas res sententiasque inter se pugnantes inveniri posse, « nihil dissonum, nihil diversum » (10); quare « cum videatur Scriptura inter se esse contraria, utrumque verum » esse, « cum diversum sit » (11).

Cui cum fortiter principio adhaeresceret, si qua in Sacris Libris inter se discrepare viderentur, eo curas omnes cogitationesque Hieronymus convertere, ut quaestionem enodaret; quodsi rem nondum apte diremptam putaret, de eadem, data occasione, iterato

(1) *Ep.* 27 *ad Marcellam* 1, 1 s. (Corp. 54, 224; PL 22, 431).
(2) *In Ez.* 1, 15-18 (PL 25, 28 A).
(3) *In Mich.* 2, 11 s.; 3, 5-8 (PL 25, 1174 BC. 1180 AB).
(4) *In Mich.* 4, 1 ss. (PL 25, 1188 B).
(5) *In Ier.* 31, 35 ss. (Corp. 59, 407; PL 24, 885 A).
(6) *In Nah.* 1, 9 (PL 25, 1238 C).
(7) *Ep.* 57 *ad Pammachium* 7, 4 (Corp. 54, 513; PL 22, 573).
(8) *Ep.* 82 *ad Theophilum* 7, 2 (Corp. 55, 114; PL 22, 740).
(9) *Ep.* 72 *ad Vitalem* 2, 2 (Corp. 55, 9; PL 22, 674).
(10) *Ep.* 18 *ad Damasum* 7, 4; cf. *ep.* 46 *Paulae et Eustochium ad Marcellam* 6, 2 (Corp. 54, 83. 335; PL 22, 366. 486 s.).
(11) *Ep.* 36 *ad Damasum* 11, 2 (Corp. 54, 277; PL 22, 457).

libenterque inquirere, haud ita felici interdum exitu. Scriptores tamen sacros nunquam de fallacia arguit vel levissima — « hoc quippe impiorum est, Celsi, Porphyrii, Iuliani » (1).

In quo quidem cum Augustino plane consentit, qui, ad ipsum Hieronymum scribens, se solis Libris Sacris hunc timorem honoremque ait deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo errasse aliquid, firmissime credat, ideoque, si quid in eis offendat litteris, quod videatur contrarium veritati, non id opinari, sed vel mendosum esse codicem, vel interpretem errasse, vel seipsum minime intellexisse; quibus haec subicit: « Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tamquam prophetarum et Apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant, dubitare nefarium est » (2).

Hac igitur Hieronymi doctrina egregie confirmantur atque 465
illustrantur ea, quibus fel. rec. decessor Noster Leo XIII antiquam et constantem Ecclesiae fidem sollemniter declaravit de absoluta Scripturarum a quibusvis erroribus immunitate:

« Tantum abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse ». Atque allatis definitionibus Conciliorum Florentini et Tridentini in Synodo Vaticana confirmatis, haec praeterea habet: « Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae » (3).

Quae decessoris Nostri verba, quamquam nullum relinquunt 466
ambigendi vel tergiversandi locum, dolendum tamen est, Venerabiles Fratres, non modo ex iis, qui foris sunt, sed etiam e catholicae Ecclesiae filiis, immo vero, quod animum Nostrum vehemen-

(1) *Ep.* 57 *ad Pammachium* 9, 1 (Corp. 54, 518 ; PL 22, 575).

(2) S. Aug. *ad* S. Hieron., *inter epist.* S. Hier. 116. 3 (Corp. 55, 399 ; PL 22, 937).

(3) *Providentissimus Deus*; v. supra n. 110.

tius excruciat, ex ipsis clericis sacrarumque disciplinarum magistris non defuisse, qui, iudicio suo superbe subnixi, Ecclesiae magisterium in hoc capite vel aperte reiecerint vel occulte oppugnarint.

Equidem illorum comprobamus consilium, qui ut semet ipsos aliosque ex difficultatibus Sacri Codicis expediant, ad eas diluendas, omnibus studiorum et artis criticae freti subsidiis, novas vias atque rationes inquirunt; at misere a proposito aberrabunt, si decessoris Nostri praescripta neglexerint et certos fines terminosque a Patribus constitutos praeterierint [1].

467 Quibus sane praeceptis et finibus nequaquam recentiorum illorum continetur opinio, qui, inducto inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque in primis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant. Eorum enim sententia est, id unum, quod ad religionem spectet, a Deo in Scripturis intendi ac doceri; reliqua vero, quae ad profanas disciplinas pertineant et doctrinae revelatae, quasi quaedam externa divinae veritatis vestis, inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui. Nihil igitur mirum, si in rebus physicis et historicis aliisque similibus satis multa in Bibliis occurrant, quae cum huius aetatis bonarum artium progressionibus componi omnino non possint.

Haec opinionum commenta, sunt, qui nihil repugnare contendant decessoris Nostri praescriptionibus, cum is hagiographum in naturalibus rebus secundum externam speciem, utique fallacem, loqui declaraverit.

468 Id vero quam temere, quam falso affirmetur, ex ipsis Pontificis verbis manifesto apparet. Neque enim ab externa rerum specie, cuius rationem esse habendam Leo XIII, praeeuntibus Augustino et Thoma Aquinate, sapientissime edixit, ulla falsi labes Divinis Litteris adspergitur, quandoquidem sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi, dogma est sanae philosophiae.

(1) Cf. Prov. 22, 28: « *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui* ».

Praeterea decessor Noster, quovis inter elementum primarium et secundarium, uti vocant, remoto discrimine omnique ambiguitate sublata, luculenter ostendit, longissime a vero abesse illorum opinionem, qui arbitrantur « de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit »; idemque docet divinum afflatum ad omnes Bibliorum partes, sine ullo delectu ac discrimine, proferri, nullumque in textum inspiratum errorem incidere posse: « At nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem » [1].

Neque minus ab Ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio ceterorumque Patrum comprobata, ii dissentiunt, qui partes Scrip- 469
turarum historicas non factorum *absoluta* inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa*, quam vocant, et concordi vulgi opinione: idque non verentur ex ipsis Leonis Pontificis verbis inferre, propterea quod principia de rebus naturalibus statuta ad disciplinas historicas transferri posse dixerit. Itaque contendunt, hagiographos, uti in physicis secundum ea, quae apparerent, locuti sint, ita eventa ignaros retulisse, prouti haec e communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare viderentur, neque fontes scientiae suae indicasse, neque aliorum enarrationes fecisse suas.

Rem in decessorem Nostrum plane iniuriosam et falsam ple- 470
namque erroris cur multis refellamus? Quae est enim rerum naturalium cum historia similitudo, quando physica in iis versantur, quae « sensibiliter apparent », ideoque cum phaenomenis concordare debent, cum, contra, lex historiae praecipua haec sit, scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt, congruere oportere? Recepta semel istorum opinione, quo pacto incolumis consistat veritas illa, ab omni falso immunis, narrationis sacrae, quam decessor Noster in toto Litterarum suarum contextu retinendam esse declarat?

Quodsi affirmat, ad historiam cognatasque disciplinas eadem 471
principia transferri utiliter posse, quae in physicis locum habent, id quidem non universe statuit, sed auctor tantummodo est, ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendam.

[1] « *Providentissimus Deus* »; v. supra n. 109.

472 Atque utinam novarum rerum fautores hic sisterent; siquidem eo procedunt ut Doctorem Stridonensem ad sententiam suam defendendam invocent, utpote qui historiae fidem et ordinem in Bibliis servari « non iuxta id quod erat, sed iuxta id quod illo tempore putabatur », et hanc quidem propriam esse historiae legem asseveraverit ([1]).

In quo mirum quantum ad sua commenta detorquent verba Hieronymi. Nam quis est, qui non videat, hoc Hieronymum dicere, hagiographum non in rebus gestis enarrandis, veritatis ignarum, ad falsam se vulgi opinionem accommodare, sed in nomine personis et rebus imponendo communem sequi loquendi modum? Ut cum Sanctum Iosephum patrem Iesu appellat, de quo quidem patris nomine quid sentiat, ipse in toto narrationis cursu haud obscure significat. Atque haec ad Hieronymi mentem « vera historiae lex » est, ut scriptor, cum de eiusmodi appellationibus agitur, remoto omni erroris periculo, usitatam loquendi rationem teneat, propterea quia penes usum est arbitrium et norma loquendi.

473 Quid, quod res, quas Biblia gestas enarrant, hic noster non secus ac doctrinas fide ad salutem necessaria credendas proponit? Et sane in commentario Epistolae ad Philemonem haec habet: « Quod autem dico, tale est: Credit quispiam in Conditorem Deum: non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis eius vera esse, quae scripta sunt ». Exemplis deinceps quam plurimis ex Veteris Testamenti Codice allatis, sic concludit: « Haec et cetera, quae de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit » ([2]).

Hieronymus igitur idem omnino profitetur, quod Augustinus, communem totius antiquitatis christianae sensum complexus, scribebat: « Quidquid de Henoch et de Elia et de Moyse Scriptura Sancta, certis et magnis fidei suae documentis in summo culmine auctoritatis locata, testatur, hoc credimus... Non ergo ideo credimus natum ex Virgine Maria, quod aliter in vera carne exsistere et hominibus apparere non posset (uti voluit Faustus), sed quia sic scriptum est in ea Scriptura, cui nisi crediderimus, nec christiani nec salvi esse poterimus » ([3]).

(1) *In Ier.* 23, 15-17 (Corp. 59, 348; PL 24, 856 s.); *in Mt.* 14, 8; *adv. Helv.* 4 (PL 26. 98 A; 23, 187 C).

(2) *In Philem.* 4 (PL 26, 609).

(3) S. Aug., *Contra Faustum* 26, 3 s. 6 s. (Corp. 25. 230. 235 s.; PL 42, 480 s. 483).

Neque aliis Scriptura Sancta obtrectatoribus caret; eos intelligimus, qui rectis quidem, si intra certos quosdam fines contineantur, principiis sic abutuntur, ut fundamenta veritatis Bibliorum labefactent et doctrinam catholicam communiter a Patribus traditam subruant. 474

In quos Hieronymus, si adhuc viveret, utique acerrima illa sermonis sui tela coniiceret, quod, sensu et iudicio Ecclesiae posthabito, nimis facile ad citationes, quas vocant implicitas, vel ad narrationes specie tenus historicas confugiunt; aut genera quaedam litterarum in Libris Sacris inveniri contendunt, quibuscum integra ac perfecta verbi divini veritas componi nequeat; aut de Bibliorum origine ita opinantur, ut eorundem labet vel prorsus pereat auctoritas.

Iam quid de iis sentiendum, qui in ipsis Evangeliis exponendis, fidem illis debitam humanam minuunt, divinam evertunt? Quae enim Dominus Noster Iesus Christus dixit, quae egit, non ea censent ad nos integra atque immutata pervenisse, iis testibus, qui quae ipsi vidissent atque audivissent, religiose perscripserint; sed — praesertim ad quartum Evangelium quod attinet — partim ex Evangelistis prodiisse, qui multa ipsimet excogitarint atque addiderint, partim e narratione fidelium alterius aetatis esse congesta; ob eamque causam aquas e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineri, ut nullâ iam certâ notâ distingui inter se possint. 475

Haud ita Hieronymus, Augustinus et ceteri Ecclesiae Doctores historicam Evangeliorum fidem intellexerunt, de qua *qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis* ([1]). Ac Hieronymus quidem, postquam haereticos, qui apocrypha evangelia confecerant, in eo reprehendit, quod « conati sunt magis ordinare narrationem, quam historiae texere veritatem » ([2]), de Scripturis canonicis, contra, scribit: « nulli dubium sit, facta esse, quae scripta sunt » ([3]), iterum iterumque cum Augustino consentiens, qui de Evangeliis praeclare: « vera haec », inquit, « et de illo fideliter veraciterque con-

([1]) Io. 19, 35.

([2]) *In Mt. Prol.* (PL 26, 17 A); cfr. Lc. 1. 1.

([3]) *Ep.* 78 *ad Fabiolam* 1, 1 (Corp. 55, 49; PL 22, 698). Cf. *in Mc.* 1, 13-31 (Anecd. Mareds. 3, 2. 329).

scripta sunt, ut quisquis Evangelio eius crediderit, veritate instruatur, non mendaciis illudatur » (1).

476 Iam videtis, Venerabiles Fratres, quanto opere sit vobis adnitendum, ut quam Patres diligentissime defugerint insanam opinandi libertatem, eandem Ecclesiae filii non minus diligenter devitent. Quod quidem eo facilius assequemini, si et clericis et laicis, quos Spiritus Sanctus vobis credidit regundos, persuaseritis, Hieronymum ceterosque Ecclesiae Patres hanc de Sacris Libris doctrinam nusquam alibi nisi in schola ipsius Divini Magistri Iesu Christi didicisse.

Num quid aliud legimus de Scriptura sensisse Dominum? Cuius ex verbis *scriptum est* et *oportet impleri Scripturam* iam argumentum omni exceptione maius exsistit, quod omnibus controversiis finem imponat.

Sed, ut in re paulisper commoremur, cuiusnam scientiam aut memoriam fugiat, Dominum Iesum in sermonibus quos ad populum habuit, cum in monte prope lacum Genesareth, tum in synagoga Nazareth et in civitate sua Capharnaum, capita doctrinae et argumenta ad eam probandam ex Codice Sacro assumpsisse? Nonne ad disceptandum cum pharisaeis et sadducaeis invicta arma indidem cepit? Sive enim doceat, sive disputet, ex qualibet Scripturae parte sententias affert et exempla, et uti talia affert, quibus sit necessario credendum; quo in genere ad Ionam et Ninivitas, ad reginam Saba et Salomonem, ad Eliam et Elisaeum, ad David, ad Noe, ad Lot et Sodomitas et ipsam uxorem Lot, sine ullo discrimine, provocat (2).

Veritatem autem Sacrorum Librorum sic testatur, ut sollemniter edicat: *Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant* (3), et: *Non potest solvi Scriptura* (4): quamobrem *qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum* » (5). Quam ut doctrinam Apostoli, quos brevi in terris erat relicturus, plene imbiberent, ante quam ad Patrem in caelum adscendit, *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic*

(1) S. Aug., *Contra Faustum* 26, 8 (Corp. 25, 737; PL 42, 484).
(2) Cf. Mt. 12, 3. 39-42; Lc. 17, 26-29. 32 etc.
(3) Mt. 5, 18.
(4) Io. 10, 35.
(5) Mt. 5, 19.

scriptum est et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die (1).

Doctrina igitur Hieronymi de praestantia et veritate Scripturae, ut uno verbo dicamus, doctrina Christi est. Quare omnes Ecclesiae filiòs, eosque praecipue, qui sacrorum alumnos ad hanc excolunt disciplinam, vehementer hortamur, ut Stridonensis Doctoris vestigia constanti animo persequantur: ex quo, sine dubio, futurum est, ut hunc Scripturarum thesaurum, quanti ille habuit, tanti ipsimet faciant, et ex eius possessione suavissimos capiant beatitatis fructus.

Etenim quod Doctore Maximo utamur duce ac magistro; id 477
utilitates non modo quas supra memoravimus, sed alias etiam nec paucas nec mediocres habet, quas, Venerabiles Fratres, placet vobiscum paucis recolere.

Quod quidem ut aggrediamur, ille in primis ante oculos mentis Nostrae obversatur ardentissimus Bibliorum amor, quem omni vitae suae exemplo et verbis Spiritu Dei plenis Hieronymus demonstravit atque in fidelium animis quotidie magis excitare studuit. « Ama Scripturas Sanctas », ita in virgine Demetriade hortari omnes videtur, « et amabit te sapientia; *dilige eam et servabit te;* honora illam et amplexabitur te. Haec monilia in pectore et in auribus tuis haereant » (2).

Continua sane Scripturae lectio atque accuratissima singulo- 478
rum librorum et vel sententiarum vocumque pervestigatio id effecit, ut tantum Sacri Codicis usum haberet, quantum nullus alius scriptor ecclesiasticae antiquitatis. Cui Bibliorum scientiae cum subtilitate iudicii coniunctae tribuendum est, quod versio Vulgata a Doctore nostro confecta, omnium integrorum iudicum consensu, reliquis longe praestat antiquis versionibus, cum accuratius atque elegantius archetypon reddere videatur.

Vulgatam vero ipsam, quam « longo tot saeculorum usu in 479
ipsa Ecclesia probatam » Concilium Tridentinum uti authenticam habendam et in docendo et orando usurpandam esse constituit (3), praegestimus animo, si quidem benignissimus Deus huius lucis Nobis usuram protulerit, ad codicum fidem, emendatam restitutamque

(1) Lc. 24, 45 s.

(2) *Ep.* 130 *ad Demetriadem* 20 (Corp. 56, 201; PL 22, 1124): cf. Prov. 4, 6. 8.

(3) *Conc. Trid.* s. 4 decr. de ed. et usu ss. librorum. V. supra n. 46

videre: quo ex arduo labiorosoque opere, a fel. rec. decessore Nostro Pio X sodalibus Benedictinis providenter commisso, minime dubitamus, quin nova ad Scripturarum intelligentiam praesidia accedant.

480 Quarum amor e Hieronymi praesertim epistolis adeo eminet, ut eae velut ipsis divinis verbis contextae videantur; et, quemadmodum Bernardo nihil ea sapiebant, unde dulcissimum Iesu nomen abesset, sic noster nullis iam litteris delectabatur, quae luminibus carerent Scripturarum. Quare ad sanctum Paulinum, virum senatoria olim et consulari dignitate conspicuum, eumque non multo ante ad Christi fidem conversum, haec candide scribebat: « Si haberes hoc fundamentum (id est scientiam Scripturarum), immo, quasi extrema manus in tuo opere duceretur, nihil pulchrius, nihil doctius nihilque latinius tuis haberemus voluminibus.... Huic prudentiae et eloquentiae si accederet vel studium vel intelligentia Scripturarum, viderem te brevi arcem tenere nostrorum » (1).

481 Sed qua via ac ratione magnus hic thesaurus, a Patre caelesti in solatium peregrinantium filiorum collatus, sit cum laeta boni exitus spe quaerendus, Hieronymus suo ipse exemplo indicat.

Atque in primis monet, praeparationem diligentem affectamque bene voluntatem ad eiusmodi studia afferamus. Ipse enim, postquam baptismo ablutus est, omnia ut removeret externa impedimenta, quae a sancto eum proposito remorari poterant, hominem illum imitatus, qui, thesauro invento, « *prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum* » (2), fluxas inanesque huius mundi delicias missas facere, solitudinem percupere et severum vitae institutum eo studiosius amplecti, quo magis in vitiorum illecebris antea salutem periclitari perspexerat.

At certe, iis sublatis impedimentis, reliquum erat, ut animum quoque ad Iesu Christi scientiam compararet, Eumque indueret qui *mitis* est *et humilis corde* (3); siquidem in se id expertus erat, quod Augustinus sibi Sacrarum Litterarum studia ineunti contigisse testatus est. Qui postquam se in scripta Ciceronis aliorumque adolescens immerserat, cum animum ad Scripturam Sanctam intenderet, « visa est mihi », ait, « indigna quam Tullianae digni-

(1) *Ep.* 58 *ad Paulinum* 9, 2; 11, 2 (Corp. 54, 539. 540; PL 22, 585 s.).

(2) Mt. 13, 44.

(3) Mt. 11, 29.

tati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius, et acies mea non penetrabat interiora eius. Verumtamen illa erat, quae cresceret cum parvulis ; sed ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi grandis videbar » (1).

Haud aliter Hieronymus, etsi in solitudinem secesserat, profanis litteris adeo delectabatur, ut humilem Christum nondum in humilitate Scripturae cognosceret. « Itaque miser ego », inquit, « lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrimas quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus, prophetas legere coepissem, sermo horrebat incultus, et quia lumen caecis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis » (2).

Sed brevi Crucis stultitiam sic adamavit, ut sit documento, quantum humilis piusque animi habitus ad Bibliorum intelligentiam conferat.

16. Itaque cum sibi ipse conscius esset « semper in exponen- 482
dis Scripturis Sanctis Spiritus Dei indigere nos adventu » (3) et non aliter Scripturam esse legendam et intelligendam « quam sensus Spiritus Sancti flagitat, quo conscripta est » (4), sanctissimus vir Dei opem et Paracliti lumina, amicis quoque deprecatoribus usus, suppliciter implorat ; eumque legimus divino auxilio fratrumque precibus et explanationes Librorum Sacrorum, quas inchoaret, commendantem, et quas feliciter absolvisset, referentem acceptas.

Praeterea, quemadmodum Dei gratiae, sic maiorum auctoritati 483
se permittit, ut affirmare queat, se « quod didicerat, non a seipso, id est a praesumptionis pessimo praeceptore, sed ab illustribus Ecclesiae viris » (5) didicisse ; fatetur enim, se « nunquam in divinis voluminibus propriis viribus credidisse » (6), et cum Theophilo, episcopo Alexandrino, legem, ad quam vitam suam et studia sacra composuerat, hisce verbis communicat : « Sed tamen scito nobis

(1) S. Aug., *Conf.* 3, 5: cf. 8, 12 (Corp. 33, 50. 194 s.; PL 32, 686 762).

(2) *Ep.* 22 *ad Eustochium* 30, 2 (Corp. 54, 189 s.; PL 22, 416).

(3) *In Mich.* 1, 10-15 (PL 25, 1159 B).

(4) *In Gal.* 5, 19-21 (PL 26, 417 A).

(5) *Ep.* 108 sive *Epitaphium S. Paulae* 26, 2 (Corp. 55, 344; PL 22, 902).

(6) *Ad Domnionem et Rogatianum in l. Par. Praef.* (PL 29, 401 A).

esse nihil antiquius quam Christiani iura servare nec patrum transferre terminos semperque meminisse Romanam fidem, apostolico ore laudatam » (1).

484 Atque Ecclesiae, supremae per Romanos Pontifices magistrae, toto pectore obsequitur et paret ; e regione igitur Syriae deserta, ubi haereticorum factionibus premebatur, ut controversiam Orientalium de Sanctissimae Trinitatis mysterio dirimendam Romanae Sedi subiiceret, ita scribit ad Damasum Pontificem : « Ideo mihi cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meae animae postulans cibum unde olim Christi vestimenta suscepi... Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini Tuae id est cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio... Decernite, obsecro : si placet, non timebo tres hypostases dicere ; si iubetis, condatur nova post Nicaenam fides, et similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi » (2). Tandem hanc fidei suae praeclaram confessionem in proxima epistola repetit : « Ego interim clamito : Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est » (3).

485 Quam quidem fidei regulam in Scripturarum studio continenter secutus, falsam quandam Sacri Codicis interpretationem hoc uno argumento refutat : « Sed haec non recipit Ecclesia Dei » (4), et librum apocryphum, quem Vigilantius haereticus ipsi opposuerat, paucis hisce reiicit : « Quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit ? » (5).

486 Ergo cum in fidei integritate retinenda tam esset diligens, acerrime cum iis depugnabat, qui ab Ecclesia descivissent, eosque adversarios veluti suos proprios habebat : « Breviter respondebo, nunquam me haereticis pepercisse et omni egisse studio, ut hostes Ecclesiae mei quoque hostes fierent » (6) ; et ad Rufinum cum scriberet : « In uno tibi » ait « consentire non potero, ut parcam haereticis, ut me catholicum non probem » (7). Eorum tamen defec-

(1) *Ep.* 63 *ad Theophilum* 2 (Corp. 54, 586 ; PL 22, 607) ; cf. Prov. 22, 28.

(2) *Ep.* 15 *ad Damasum* 1. 2. 4 (Corp. 54 62-65 ; PL 22, 355-357).

(3) *Ep.* 16 *ad Damasum* 2, 2 (Corp. 54, 69 ; PL 22, 359)

(4) *In Dan.* 3, 37 (PL 25, 510 A).

(5) *Adv. Vigil.* 6 (PL 23, 345 A).

(6) *Dial. c. Pelag., Prolog.* 7 (PL 23, 497 A).

(7) *Contra Ruf.* 3, 43 (PL 23, 489 B).

tionem complorans, rogabat, vellent ad lugentem Matrem, unicam salutis causam, reverti (1), et pro iis « qui de Ecclesia egressi erant et dimittentes doctrinam Spiritus Sancti, suum sensum sequebantur », precabatur, ut toto animo àd Deum converterentur (2).

Quodsi unquam alias, Venerabiles Fratres, at hac nostra 487
praesertim aetate, cum Dei revelantis Ecclesiaeque docentis auctoritatem atque imperium non pauci contumaciter detrectant, spiritu Doctoris Maximi omnes e clero populoque christiano imbuantur oportet. Nostis enim — quod iam Leo XIII praemonuerat —, « quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant » (3).

Omnino igitur quam plurimos quamque maxime idoneos excitetis oportet sanctissimae causae defensores, qui non modo adversus eos dimicent, quibus, ordinem supernaturalem universum negantibus, nulla est Dei revelatio et afflatus, sed etiam cum iis congrediantur, qui, profanarum novitatum cupidi, Sacras Litteras quasi librum prorsus humanum interpretari audent, aut a sententiis discedunt in Ecclesia a prisca antiquitate receptis, aut magisterium eius sic negligunt, ut Apostolicae Sedis Constitutiones et Pontificii Consilii de Re Biblica decreta parvi pendant, vel silentio praetereant, vel etiam ad placita sua subdole petulanterve detorqueant.

Utinam catholici omnes auream sancti Doctoris regulam sequantur, et, Matris dicto audientes, intra *terminos antiquos* a Patribus positos (4) et ab Ecclesia ratos se modeste contineant.

Sed ad propositum redeamus. Animos igitur iam pietate ac 488
demissione comparatos, ad Bibliorum studium invitat Hieronymus.

Ac primum omnibus iterum iterumque quotidianam verbi divini lectionem commendat: « Modo non sit corpus nostrum subditum peccatis, et ingredietur in nos sapientia: exerceatur sensus, mens quotidie divina lectione pascatur » (5). Et in epistolam ad Ephesios: « Unde omni studio legendae nobis Scripturae sunt et *in lege Domini* meditandum *die ac nocte*, ut probati trapezitae sciamus, qui nummus probus sit, quis adulter » (6).

(1) *In Mich.* 1, 10-15 (PL 25, 1163 A).
(2) *In Is.* l. 6 cap. 16, 1-5 (PL 24, 235 A).
(3) « *Providentissimus Deus* »: v. supra n. 85.
(4) Cf. Prov. 22, 28.
(5) *In Tit.* 3, 9 (PL 26. 594 C); cf. Sap. 1, 4.
(6) *In Eph.* 4, 31 (PL 26, 517 B); cf. Ps. 1, 2.

Neque ab hac communi lege matronas virginesque eximit. Laetae, matri Romanae, haec de filia instituenda, inter alia, tradit praecepta: « Reddat tibi pensum quotidie Scripturarum certum.... Pro gemmis aut serico Divinos Codices amet... Discat primum Psalterium, his se canticis avocet, et in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat calcare, quae mundi sunt. In Iob virtutis et patientiae exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. Apostolorum Acta et Epistolas tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriae prophetas et Heptateuchum et Regum ac Paralipomenon libros, Esdraeque et Esther volumina, ut ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum » (1).

Neque aliter Eustochium virginem hortatur: « Crebrius lege et disce quam plurima. Tenenti Codicem somnus obrepat et cadentem faciem pagina sancta suscipiat » (2). Cui cum epitaphium mitteret Paulae matris, sanctissimam feminam eo quoque nomine dilaudat, quod una cum filia sic se Scripturarum studiis excoluisset, ut eas et penitus nosset et memoriae mandasset. Addit praeterea: « Loquar et aliud quod forsan aemulis videatur incredulum: hebraeam linguam, quam ego ab adolescentia multo labore ac sudore ex parte didici, et infaticabili meditatione non desero, ne ipse ab ea deserar, discere voluit et consecuta est ita, ut psalmos hebraice caneret et sermonem absque ulla latinae linguae proprietate resonaret. Quod quidem usque hodie in sancta filia eius Eustochio cernimus » (3). Neque sanctam praeterit Marcellam, quae item Scripturas calleret optime (4).

489 Quem vero lateat, ex pia Sacrorum Librorum lectione quantum utilitatis ac suavitatis in animos rite compositos defluat? Ad Biblia enim quisquis pia mente, firma fide, humili animo et cum proficiendi voluntate accesserit, is eum ibi inveniet et comedet panem, *qui de caelo descendit* (5), et Davidicum illud in se ipse expe-

(1) *Ep.* 107 *ad Laetam* 9, 12 (Corp. 45, 300. 302 s.; PL. 22, 874, 876 s.).

(2) *Ep.* 22 *ad Eustochium* 17, 2; cf. *ib.* 29, 2 (Corp. 54, 165. 187. 189; PL 22, 404. 415 s.).

(3) *Ep.* 108 sive *Epitaphium S. Paulae* 26 (Corp. 55, 344 s.; PL 22, 902 s.).

(4) *Ep.* 127 *ad Principiam* 7 (Corp. 56, 151; PL 22, 1091 s.).

(5) Cf. Io. 6, 33.

rietur: *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi* (1), cum haec verbi divini mensa sit vere « continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, et firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt Sancta Sanctorum, perducens » (2).

Quod autem in nobis est, Venerabiles Fratres, Christifi- 490
deles omnes auctore Hieronymo cohortari numquam desinemus, ut sacrosancta praesertim Domini Nostri Evangelia, itemque Acta Apostolorum et Epistolas quotidiana lectione pervolutare et in sucum et sanguinem convertere studeant.

Itaque in his saecularibus sollemnibus ad Societatem, quae 491
Sancti Hieronymi nomine nuncupatur, libenter provolat cogitatio Nostra; eoque libentius, quod Nosmet ipsi rei inchoandae perficiendaeque participes fuimus, cuius quidem incrementa cum praeterita iucunde perspeximus, tum praecipimus laeto animo futura. Huic enim Societati non ignoratis, Venerabiles Fratres, id esse propositum, quatuor Evangelia et Acta Apostolorum quam latissime pervulgare ita, ut nulla iam sit christiana familia, quae iis careat, omnesque quotidiana eorum lectione et meditatione assuescant. Quod opus Nobis ob exploratas eius utilitates carissimum, vehementer cupimus, societatibus eiusdem nominis et instituti ubique conditis, et iis ad Romanam aggregatis, in dioeceses vestras propagari atque diffundi.

Eodem in genere optime de re catholica merentur illi e variir 492
segionibus viri, qui omnes Novi Testamenti et selectos e Vetere Libros commoda ac nitida forma edendos et evulgandos perdiligenter curarunt et in praesenti curant: unde constat haud exiguam fructuum copiam in Ecclesiam Dei permanasse, cum multo iam plures ad hanc caelestis doctrinae mensam accedant, quam Dominus Noster per suos prophetas, Apostolos et Doctores christiano orbi ministravit (3).

Iam vero, cum Sacri Codicis studium ab omnibus fidelibus 493
requirit Hieronymus, tum maxime ab iis, qui « iugum Christi collo suo imposuerunt » et ad divinum verbum praedicandum divinitus vocati sunt.

Sic enim in monacho Rustico clericos omnes affatur: « Quamdiu in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso, varia Scriptu-

(1) Ps. 50, 8.
(2) *Imit. Chr.* 4, 11, 4.
(3) *Imit Chr.* 4, 11, 4.

rarum poma decerpe, his utere deliciis, harum fruere complexu... Numquam de manu et oculis tuis recedat liber. Psalterium discatur ad verbum, oratio sine intermissione, vigil sensus nec vanis cogitationibus patens » (1). Nepotianum vero presbyterum sic monet: « Divinas Scripturas saepius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas. Obtine *eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut* possis *exhortari in doctrina sana* et contradicentes revincere » (2).

Cum autem in Sancti Paulini memoriam praecepta a Paulo discipulis Timotheo ac Tito de scientia Scripturarum impertita redegisset, haec addit: « Sancta quippe rusticitas sibi soli prodest, et quantum aedificat ex vitae merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si contradicentibus non resistit. Malachias propheta, immo per Malachiam Dominus: *Interroga*, ait, *sacerdotes legem*. In tantum sacerdotis officium est interrogatum respondere de lege. Et in Deuteronomio legimus: *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, presbyteros tuos et dicent tibi*.... Daniel in fine sacratissimae visionis iustos ait fulgere quasi stellas, et intelligentes, id est doctos, quasi firmamentum. Vides quantum distent intar se iustà rusticitas et docta iustitia? Alii stellis, alii caelo comparantur » (3). Aliorum quoque clericorum « iustam rusticitatem » in epistola ad Marcellam per ironiam carpit: « quam (rusticitatem) illi solam pro sanctitate habent, piscatorum se discipulos asserentes, quasi idcirco iusti sint, si nihil scierint » (4).

At non eiusmodi tantummodo rusticos, verum etiam clericos litteratos Scripturarum ignorantia peccare animadvertit, et gravissimis verbis assiduam in Sacris Voluminibus exercitationem sacerdotibus inculcat.

494 Quae quidem exegetae sanctissimi documenta, Venerabiles Fratres, studiose efficite, ut animis clericorum et sacerdotum vestrorum altius insideant; nam vestrum in primis est diligenter revocare eos ad considerandum; quid ab ipsis divini muneris, quo

(1) *Ep.* 125 *ad Rusticum* 7, 3; 11, 1 (Corp. 56, 125. 129 s.; PL 22, 1076. 1078).

(2) *Ep.* 52 *ad Nepotianum* 7, 1 (Corp. 54, 426; PL 22, 533); cf. Tit. 1, 9.

(3) *Ep.* 53 *ad Paulinum* 3, 3 ss. (Corp. 54, 447 s.; PL 22, 542); cf. Agg. 2, 12 (non Malachias); Deut 32, 7; Dan. 12, 3.

(4) *Ep.* 27 *ad Marcellam* 1, 2 (Corp. 54, 224; PL 22, 431).

aucti sunt, ratio postulet, si eo non indignos se praestare velint: « *Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est* » (1).

Sciant igitur, sibi nec studium Scripturarum esse negligendum, nec illud alia via aggrediendum, ac Leo XIII Encyclicis Litteris « Providentissimus Deus » data opera praescripsit.

Iidem profecto perfectius aliquid attingent, si Institutum Biblicum celebrarint, quod, secundum Leonis XIII optata, proximus decessor Noster condidit permagna quidem cum Ecclesiae sanctae utilitate, ut est horum decem annorum experimento testatissimum. Sed quoniam plerique hoc nequeunt, optabile est, ut selecti ex utroque clero viri, vobis, Venerabiles Fratres, auctoribus atque auspicibus, undique in Urbem conveniant operam rei biblicae in Instituto Nostro daturi.

Qui autem alumni convenerint, iis non una de causa Institutum frequentare licebit. Alii enim, secundum praecipuum huius Lycei magni finem, studia biblica ita pertractabunt, ut ea « postmodum tam privatim quam publice, tum scribentes cum docentes, profiteri valeant, et... sive in munere magistrorum penes catholicas scholas, sive in officio scriptorum pro catholica veritate vindicanda, eorum dignitatem tueri possint » (2); alii vero, qui iam ministerio sacro initiati sint, ampliorem quam in theologiae curriculo cognitionem Scripturae Sacrae itemque magnorum eius interpretum et temporum locorumque biblicorum sibi comparare poterunt, quae cognitio ad usum praecipue pertineat, ad id nempe, ut perfecti evadant verbi divini administri, *ad omne opus bonum* instructi (3).

Habetis, Venerabiles Fratres, ex Hieronymi exemplo et auctoritate quibus virtutibus oporteat instructum esse, quisquis se ad lectionem studiumve Bibliorum conferat: nunc ipsum audiamus docentem quorsum Sacrarum Litterarum cognitio spectare quidque debeat intendere. 495

Primum in iis paginis c i b u s q u a e r e n d u s e s t, u n d e v i t a s p i r i t u s a d p e r f e c t i o n e m a l a t u r: quam ob causam Hieronymus *in lege Domini* meditari *die ac nocte* et in Sanctis

(1) Mal. 2, 7.
(2) PIUS X in Litt. Apost. *Vinea electa*, 7 Maii 1909; v. supra n. 197.
(3) Cf. 2 Tim. 3, 17.

Scripturis *panem de caelo* ac manna caeleste, omnes in se delicias habens, consuevit comedere (1). Quo quidem cibo animus noster carere qui possit? Et quomodo ecclesiasticus vir viam salutis alios doceat, quando, neglecta Scripturae meditatione, se ipse non docet? Aut quo pacto, sacra administrando, confidat se « *esse ducem caecorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege* » (2), si hanc legis doctrinam commentari nolit et superno lumini aditum prohibeat? Heu quot sacrorum administri, posthabita Bibliorum lectione, fame ipsi pereunt et alios nimis multos interire sinunt, cum scriptum sit: « *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis* » (3). « *Desolata est omnis terra quia nullus est qui recogitet corde* » (4).

496 Deinde, ut res postulaverit, argumenta ex Scripturis petenda sunt, quibus fidei dogmata illustremus, confirmemus, tueamur. Quod ille mirifice praestitit, adversus sui temporis haereticos dimicans: quos ad refellendos, quam acuta, quam solida e locis Scripturae arma desumpserit, omnia eius opera luculenter ostendunt. In quo si eum imitati erunt nostri Scripturarum interpretes, id profecto consecuturum est — quod decessor Noster in Encyclicis Litteris « Providentissimus Deus » « maxime optabile et necessarium » dixit —, ut « eiusden Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima » (5).

497 Praecipuus denique Scripturae usus ad divini verbi ministerium pertinet sancte fructuoseque exercendum. Atque hoc loco, gratissimum est Doctoris Maximi verbis roborari praecepta, quae Nos Litteris Encyclicis « Humani generis » de verbi divini praedicatione tradidimus (6). Ac profecto insignis interpres tam graviter, tam frequenter continuam Sacrarum Litterarum lectionem ad id potissimum sacerdotibus commendat, ut munere docendi et contionandi digne perfungantur. Neque enim eorum

(1) *Tract de Ps.* 147 (Anecd. Mareds. 3, 2, 302); cf. Ps. 1, 2; Sap. 16, 20.

(2) Rom. 2, 19 s.

(3) Thren. 4, 4.

(4) Ier. 12, 11.

(5) « *Providentissimus Deus* »; v. supra n. 99.

(6) 15 Iunii 1917 (*Acta Apost. Sedis* 9, 305-317).

sermo habet aliquid, cum momenti et ponderis, tum ad effingendos animos efficacitatis, nisi a Sacra Scriptura informetur ab eaque vim suam ac robur mutuetur. « Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit » (1). Nam « quidquid in Scripturis Sanctis dicitur, tuba comminans est et grandi voce credentium aures penetrans » (2). « Nihil enim ita percutit, ut exemplum de Scripturis Sanctis » (3).

Quae autem sanctus Doctor habet de legibus in usu Bib- 498
liorum servandis, ea, quamquam ad interpretes quoque, maximam partem, pertinent, sacerdotes in verbi divini praedicatione ante oculos habento.

Ac primo quidem monet, *ipsa Scripturae verba perdiligenter consideremus*, ut certo constet quidnam sacer scriptor dixerit. Neque enim quisquam ignorat, Hieronymum, si quando opus esset, consuevisse ad codicem primigenium adire, aliam interpretationem cum alia comparare, vim verborum excutere et, si qui incidisset error, causas erroris aperire, ut de ipsa lectione omnis tolleretur dubitatio.

Tum vero, *quae in verbis insit significatio et sententia*, docet, *esse inquirendum*, quia « de Scripturis Sanctis disputanti non tam necessaria sunt verba quam sensus » (4). Atque in eiusmodi significatione perscrutanda minime diffitemur Hieronymum, doctores latinos nonnullosque ex graecis superiorum temporum imitatum, fortasse plus aequo allegoricis interpretationibus initio concessisse. Verum fecit ipse Sacrorum Librorum amor, fecit perpetuus labor in eos recognoscendos ac penitus percipiendos impensus, ut quotidie magis in recta sensus litteralis aestimatione proficeret, et sana hoc in genere principia proponeret; quae, cum nunc quoque tutam omnibus viam muniant ad plenum ex Sacris Libris sensum eruendum, breviter exponemus.

Ad *litteralem* igitur seu historicam *explicationem in primis animum intendere debemus*: « Prudentem semper admoneo lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus et quae commatice pro fingentium dicuntur arbitrio, sed consideret priora, media et sequentia, et nectat sibi universa,

(1) *Ep.* 52 *ad Nepotianum* 8, 1 (Corp. 54, 428; PL 22, 534).
(2) *In Am.* 3, 3-8 (PL 25, 1016 C).
(3) *In Zach.* 9, 15 s. (PL 25, 1488 C).
(4) *Ep.* 29 *ad Marcellam* 1, 3 (Corp. 54, 233; PL 22, 436).

quae scripta sunt » ([1]). Addit, reliquum omne interpretationis genus, tamquam fundamento, sensu litterali inniti ([2]), qui neque tum abesse putandus est, cum aliquid translate effertur ; nam « frequenter historia ipsa metaphorice texitur et sub imagine... praedicatur » ([3]). Qui vero opinantur, Doctorem nostrum id nonnullis Scripturae locis tribuisse, quod sensu historico carerent, eos ipsemet refellit : « Non historiam denegamus, sed spiritalem intelligentiam praeferimus » ([4]).

499 Litterali autem seu historica significatione in tuto collocata, interiores altioresque rimatur sensus, ut exquisitiore epulo spiritum pascat : docet enim de libro Proverbiorum, idemque de reliquis Scripturae partibus saepe monet, sistendum non esse in solo litterali sensu, « sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis divinum sensum altius perscrutandum » ([5]). Quamobrem, cum Sanctum Paulinum edoceret, « quo in Scripturis sanctis calle gradiatur », « totum », ait, « quod legimus in Divinis Libris, nitet quidem et fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui esse vult nucleum, frangit nucem » ([6]).

Monet tamen, cum de quaerendo agitur eiusmodi interiore sensu, quemdam modum esse adhibendum, « ne dum spiritales divitias sequimur, historiae contemnere paupertatem videamur » ([7]). Itaque haud paucas improbat antiquorum scriptorum mysticas interpretationes ob eam praecipue causam, quod in litterali sensu minime inniterentur : « ut omnes illius repromissiones, quas sancti prophetae suo ore cecinerunt, non inanem sonum habeant et crassa solius tropologiae nomina, sed fundentur in terra et cum historiae habuerint fundamenta, tunc spiritalis intelligentiae culmen accipiant » ([8]).

([1]) *In Mt.* 25, 13 (PL 26, 186 AB).

([2]) Cf. *in Ez.* 38, 1 ss.; 41, 23 ss.; 42, 13 s. (PL 25, 355 D. 404 B. 412 A); *in Mc.* 1, 13-31 (Anecd. Mareds. 3, 2, 329); *ep.* 129 *ad Dardanum* 6, 1 (Corp. 56, 173; PL 22, 1105) etc.

([3]) *In Hab.* 3, 14 ss. (PL 25, 1328 C).

([4]) *In Mc.* 9, 1-7 (Anecd. Mareds. 3, 2, 348); cf. *in Ez.* 40, 24-27 (PL 25, 381 A).

([5]) *In Eccle.* 12, 9 s. (PL 23, 1113 B).

([6]) *Ep.* 58 *ad Paulinum* 9, 1 (Corp. 54, 538; PL 22, 585).

([7]) *In Eccle.* 2, 24-26 (PL 23, 1033 A).

([8]) *In Am.* 9, 6 (PL 25, 1090 AB).

Quà in re sapienter animadvertit, non esse a Christi et Apostolorum vestigiis discedendum, qui, quamquam Vetus Testamentum uti Novi Foederis praeparationem et obumbrationem considerant proptereaque locos complures typice interpretantur, non omnia tamen ad typicam significationem trahunt. Atque ut rem confirmet, saepe ad Paulum Apostolum appellat, qui, exempli gratia, « exponens sacramenta Adae et Evae, non negavit plasmationem eorum, sed super fundamentum historiae spiritalem intelligentiam aedificans ait: *Propter hoc relinquet homo* etc. » ([1]).

Quodsi Sacrarum Litterarum interpretes et divini verbi praecones, Christi et Apostolorum exemplum secuti monitisque Leonis XIII obtemperantes, ea non neglexerint « quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime cum ex litterali descendant, et multorum auctoritate fulciantur » ([2]), et modeste temperateque e litterali sententia ad altiora exsurgant atque se erigant, cum Hieronymo experientur, quam verum illud Pauli: « *Omnis Scriptura divinitus inspirata et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia* » ([3]), et larga ex infinito Scripturarum thesauro habituri sunt rerum sententiarumque subsidia, quibus fortiter suaviterque vitam moresque fidelium ad sanctitatem conforment.

Quod vero attinet ad exponendi et dicendi rationem, quo- 500
niam *inter dispensatores* mysteriorum Dei *quaeritur, ut fidelis quis inveniatur* ([4]) statuit Hieronymus, potissimum « veritatem interpretationis » retinendam esse et « commentatoris officium esse, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille, quem interpretatur, exponere » ([5]): adiicit autem, « grande periculum esse in Ecclesia loqui, ne forte interpretatione perversa de Evangelio Christi hominis fiat Evangelium » ([6]).

Deinde « in explanatione Sanctarum Scripturarum non verba composita et oratoriis flosculis adornata, sed eruditio et simplicitas quaeritur veritatis » ([7]). Quam quidem ad normam cum

(1) *In Is.* 6, 1-7 (Anecd. Mareds. 3, 3, 104 s.); cf. Eph. 5, 31 s.
(2) « *Providentissimus Deus* »; v. supra n. 97.
(3) 2 Tim. 4, 16.
(4) 1 Cor. 4, 2.
(5) *Ep.* 49 al. 48 *ad Pammachium* 17, 7 (Corp. 54, 381; PL 22, 507).
(6) *In Gal.* 1, 11 ss. (PL 26, 322 D).
(7) *In Am., Praef.* in l. 3 (PL 25 1058 C).

scripta sua exararet, in commentariis profitetur hoc sibi habere propositum, non ut verba sua « laudentur, sed ut quae ab alio bene dicta sunt, ita intellegantur ut dicta sunt » ([1]); in expositione vero divini verbi eam requiri orationem, quae « nullam lucubrationem redolens... rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quae verborum compositione frondescat » ([2]).

Atque hic placet plures Hieronymi locos subiicere, e quibus liquet, quam vehementer ab eloquentia illa abhorreret declamatorum propria, quae vacuo verborum strepitu et celeritate loquendi inanes plausus intendit. « Nolo te », monet Nepotianum presbyterum, « declamatorem esse et rabulam garrulumque, sed mysterii peritum et sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est » ([3]). « Ex litteratis quicumque hodie ordinantur, id habent curae, non quomodo Scripturarum medullas ebibant, sed quomodo aures populi declamatorum flosculis mulceant » ([4]). « Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas Sanctas post saeculares litteras venerint, et sermone composito aurem populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur quid prophetae, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit, et non vitiosissimum dicendi genus, depravare sententias et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem » ([5]). « Nam sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem, nisi viderentur perversam doctrinam etiam divinis testimoniis roborare » ([6]).

Verum haec garrula eloquentia et verbosa rusticitas « nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum marcidumque et mollitum, ebullit in olera et in herbas, quae cito arescunt et corruunt »; simplex, contra, Evangelii doctrina, similis minimo grano sinapis, « non exsurgit in olera, sed crescit in arborem, *ita ut volucres caeli... veniant et habitent in ramis eius* » ([7]).

([1]) *In Gal. Praef.* in l. 4 (PL 26, 400 C).
([2]) *Ep.* 36 *ad Damasum* 14, 2; cf. *ep.* 140 *ad Cyprianum* 1, 2 (Corp. 54; 280; 56, 269 s.; PL 22, 459. 1166).
([3]) *Ep.* 52 *ad Nepotianum* 8, 1 (Corp. 54, 428 s.; PL 22, 534).
([4]) *Dial. c. Lucif.* 11 (PL 23, 166 B).
([5]) *Ep.* 53 *ad Paulinum* 7, 2 (Corp. 54, 453 s.; PL 22, 544).
([6]) *In Tit.* 1, 10 s. (PL 26, 570 B).
([7]) *In Mt.* 13, 32 (PL 26, 90 BC).

Quare hanc sanctam dicendi simplicitatem, cum perspicuitate et venustate minime quaesita coniunctam, ipse in omnibus sectabatur: « Sint alii diserti, laudentur, ut volunt, et inflatis buccis spumantia verba trutinentur: mihi sufficit sic loqui, ut intelligar et ut de Scripturis disputans, Scripturarum imiter simplicitatem » (1). Etenim « ecclesiastica interpretatio etiamsi habet eloquii venustatem, dissimulare eam debet et fugere, ut non otiosis philosophorum scholis paucisque discipulis, sed universo loquatur hominum generi » (2).

Quae profecto consilia et praecepta si iuniores sacerdotes ad effectum deduxerint et seniores continenter prae oculis habuerint, confidimus eos fore Christifidelium animis per ministerium sacrum summopere profuturos.

Reliquum est, Venerabiles Fratres, ut « dulces fructus » 501
commemoremus, quos Hieronymus « de amaro semine litterarum » decerpsit, in eam erecti spem, futurum, ut eius exemplo ad cognoscendam percipiendamque Sacri Codicis virtutem sacerdotes et fideles vestris curis concrediti incendantur.

Sed tantas tamque suaves spiritus delicias, quibus pius anachoreta affluebat, malumus ex eius veluti ore quam ex Nostris verbis complectamini. Audiatis igitur, quomodo de sacra hac disciplina Paulinum « symmystam, sodalem et amicum » alloquatur: « Oro te, frater carissime, inter haec vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quaerere, nonne tibi videtur iam hic in terris regni caelestis habitaculum? » (3).

Alumnam vero suam, Paulam ita interrogat: « Oro te, quid hoc sacratius sacramento? quid hac voluptate iucundius? Qui cibi, quae mella sunt dulciora quam Dei scire prudentiam, in adyta eius intrare, sensum Creatoris inspicere et sermones Domini tui, qui ab huius mundi sapientibus deridentur, plenos docere sapientia spiritali? Habeant sibi ceteri suas opes, gemma bibant, serico niteant, plausu populi delectentur et per varias voluptates divitias suas vincere nequeant: nostrae deliciae sint, *in lege Domini* meditari *die ac nocte*, pulsare ianuam non patentem, panes Trinitatis accipere et saeculi fluctus, Domino praeeunte, calcare » (4). Ad ean-

(1) *Ep.* 36 *ad Damasum* 14, 2 (Corp. 54, 281; PL 22, 459).
(2) *Ep.* 48 al. 49 *ad Pammachium* 4, 3 (Corp. 54, 350; PL 22, 512).
(3) *Ep.* 53 *ad Paulinum* 10 al. 9, 1 (Corp. 54, 463; PL 22, 549).
(4) *Ep.* 30 *ad Paulam* 13 (Corp. 54, 248; PL 22, 444); cf. Ps. 1, 2.

dem Paulam et filiam eius Eustochium in commentario Epistolae ad Ephesios: « Si quidquam est, Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem teneat et inter pressuras et turbines mundi aequo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor meditationem et scientiam Scripturarum » (1).

Qua cum ipse uteretur, gravibus animi maeroribus corporisque aegrotationibus affectus, tamen pacis et interioris gaudii solatio fruebatur; quod quidem gaudium non erat in vana atque otiosa delectatione positum, sed, a caritate profectum, in caritatem actuosam erga Ecclesiam Dei convertebatur, cui divini verbi custodia a Domino commissa est.

502 Etenim in Sacris utriusque Foederis Litteris Ecclesiae Dei laudes legebat passim praedicatas. Singulae fere illustres sanctaeque mulieres, quae in Veteri Testamento honorificum obtinent locum, nonne huius Christi Sponsae figuram praeferebant? Nonne sacerdotium et sacrificia, instituta et sollemnia, universae paene Veteris Testamenti res gestae ad eam adumbrandam pertinebant? Quid, quod tot Psalmorum et prophetarum vaticinationes in Ecclesia divinitus impletas intuebatur? Non ipsi denique audita erant, a Christo Domino et ab Apostolis enuntiata, maxima eiusdem Ecclesiae privilegia? Quidni igitur in animo Hieronymi amorem erga Christi Sponsam quotidie magis excitaverit scientia Scripturarum?

Iam vidimus, Venerabiles Fratres, quanta reverentia et quam flagranti caritate is Ecclesiam Romanam et Petri Cathedram prosequeretur; vidimus quam acriter Ecclesiae adversarios impugnaret. Cum autem iuniori commilitoni Augustino, idem proelium proelianti, plauderet, et se una cum eo haereticorum invidiam in se suscepisse laetaretur: « Macte virtute », ita eum alloquitur, « in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suscipiunt, et, quod signum maioris gloriae est, omnes haeretici detestantur, et me pari persequuntur odio, ut quos gladiis nequeant, voto interficiant » (2). Quae egregie confirmat Postumianus, apud Sulpicium Severum de Hieronymo testatus: « Cui iugis adversum malos pugna perpetuumque certamen concivit odia perditorum. Oderunt eum haeretici, quia eos impugnare

(1) *In Eph., Prol.* (PL 26, 439 A).

(2) *Ep.* 141 *ad Augustinum* 2; cf. *ep.* 134 *ad eumdem* 1 (Corp. 56, 290 s. 261 s.; PL 22, 1180. 1161 s.).

non desinit; oderunt clerici, quia vitam eorum insectatur et crimina. Sed plane eum boni omnes admirantur et diligunt » (1).

Quo ex haereticorum perditorumque hominum odio multa perpessu aspera Hieronymus oppetiit, tum maxime cum Pelagiani coenobium Bethlehemiticum tumultuose adorti vastarunt; at omnes indignitates contumeliasque libenter pertulit, neque animo concidit, utpote qui pro tuenda Christi fide mori non dubitaret: « Hoc meum gaudium est », ad Apronium scribit, « quando in Christo audio filios meos dimicare, et istum zelum in nos ipse confirmet, cui credimus, ut pro fide eius sanguinem voluntarie fundamus... Nostra autem domus secundum carnales opes haereticorum persecutionibus penitus eversa, Christo propitio spiritalibus divitiis plena est. Melius est enim panem manducare quam fidem perdere » (2).

Quodsi errores nusquam impune serpere passus est, haud 503
minore sane studio in perditos mores vehementi illo suo dicendi genere usus est, ut quantum in se erat, Christo « *exhiberet... gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* » (3). Quam graviter eos increpat, qui sacerdotalem dignitatem pravo vitae instituto violarent! Quam eloquenter ethnicos vituperat mores, qui ipsam Urbem magna ex parte inficerent!

Hanc vero vitiorum scelerumque omnium colluviem, ut quoquo pacto cohiberet, opponere ipse virtutum christianarum praestantiam atque pulchritudinem, verissime ratus nihil tam ad malum aversandum valere quam rerum optimarum amorem; instare, ut adolescentes pie ac recte instituerentur; gravibus consiliis coniuges ad vitae integritatem sanctitatemque hortari; studium virginitatis purioribus instillare animis; arduam quidem, sed suavem interioris vitae severitatem omnibus laudibus extollere; primam illam christianae religionis legem, caritatis scilicet cum labore coniunctae, qua servata, e perturbationibus ad tranquillitatem ordinis se hominum societas feliciter reciperet, omni contentione urgere.

De caritate autem ita praeclare ad Sanctum Paulinum: « Verum Christi templum anima credentis est: illam exorna, illam

(1) Postumianus apud Sulp. Sev., *Dial.* 1, 9 (Corp. 1, 161; PL 20, 89 D).

(2) *Ep.* 139 *ad Apronium* (Corp. 56, 267 s.; PL 22, 1166); alii legunt: panem mendicare.

(3) Eph. 5, 27.

vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. Quae utilitas, parietes fulgere gemmis et Christum in paupere fame mori? » (1). Laboris vero legem non scriptis modo, sed totius quoque vitae exemplis tam impense omnibus suadebat, ut Postumianus, qui sex menses cum Hieronymo in urbe Bethlehem commoratus erat, apud Sulpicium Severum testatus sit: « Totus semper in lectione, totus in libris est: non die, non nocte requiescit; aut legit aliquid semper aut scribit » (2).

Ceterum, quantum Ecclesiam adamaret, liquet etiam ex commentariis, in quibus nullam dilaudandae Christi Sponsae opportunitatem praeterit. Ita, exempli causa, in explanatione Aggaei prophetae legimus: « Venerunt electa omnium gentium et repleta est gloria domus Domini, quae est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis... His metallis illustrior fit Ecclesia Salvatoris, quam quondam synagoga fuerat: his lapidibus vivis aedificatur domus Christi et pax ei praebetur aeterna » (3). Et in Michaeam: « Venite, ascendamus in montem Domini: ascensione opus est ut quis ad Christum valeat pervenire et domum Dei Iacob, Ecclesiam, quae est domus Dei, columna et firmamentum veritatis » (4). In prooemio commentarii in Matthaeum: « Ecclesia... supra petram Domini voce fundata est, quam introduxit Rex in cubiculum suum et ad quam per foramen descensionis occultae misit manum suam » (5).

504 Quemadmodum in postremis, quos attulimus, locis, sic plerumque Dominum Iesum intime cum Ecclesia coniunctum Doctor noster concelebrat. Caput enim cum a corpore mystico separari nequeat, necessario coniungitur cum Ecclesiae studio Christi amor, qui scientiae Scripturarum praecipuus atque dulcissimus omnium fructus habendus est.

Hanc profecto Sacri Codicis scientiam adeo Hieronymus persuasum habebat usitatam esse viam, qua ad cognitionem et amorem Christi Domini pervenitur, ut asseverare minime dubitaverit:

(1) *Ep.* 58 *ad Paulinum* 7, 1 (Corp. 54, 536 s.; PL 22, 584).

(2) Postumianus apud Sulp. Sev., *Dial.* 1, 9 (Corp. 1, 161; PL 20, 190 A).

(3) *In Agg.* 2, 1-10 (PL 25, 1404 BD).

(4) *In Mich.* 4, 1-7 (PL 25, 1187 B).

(5) *In Mt., Prol.* (PL 26, 17 B).

« Ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est » ([1]). Idem ad sanctam Paulam scribit: « Quae enim alia potest esse vita sine scientia Scripturarum, per quas etiam ipse Christus agnoscitur, qui est vita credentium? » ([2]).

In Christum enim veluti centrum omnes utriusque Testamenti paginae vergunt; et Hieronymus, cum verba Apocalypsis explanat, quae sunt de fluvio et ligno vitae, inter alia, haec habet: « Unus fluvius egreditur de throno Dei, hoc est gratia Spiritus Sancti, et ista gratia Spiritus Sancti in Sanctis Scripturis est, hoc est in isto fluvio Scripturarum. Tamen iste fluvios duas ripas habet, et Vetus et Novum Testamentum, et in utraque parte arbor plantata Christus est » ([3]).

Nihil igitur mirum si, quaecumque in Sacro Codice leguntur, ea, pia mediatione, ad Christum referre consueverat: « Ego quando lego Evangelium et video ibi testimonia de lege, testimonia de prophetis, solum Christum considero: sic vidi Moysen, sic vidi prophetas, ut de Christo intelligerem loquentes. Denique quando venero ad splendorem Christi et quasi splendidissimum lumen clari solis adspexero, lucernae lumen non possum videre. Nunquid lucernam si incendas in die, lucere potest? Si sol luxerit, lux lucernae non paret: sic et Christo praesente comparata, lex et prophetae non apparent. Non detraho legi et prophetis, quin potius laudo, quia Christum praedicant. Sed sic lego legem et prophetas ut non permaneam in lege et prophetis, sed per legem et prophetas ad Christum perveniam » ([4]).

Ita, qui Christum ubique pie quaereret, eum Scripturarum commentatione et amorem et scientiam Domini Iesu mirifice efferri cernimus, in qua margaritam illam Evangelii pretiosam invenit: « Unum autem est pretiosissimum margaritum, scientia Salvatoris et sacramentum passionis illius et resurrectionis arcanum » ([5])

Qua Christi caritate cum flagraret, nimirum fiebat ut, pau- 505
per et humilis cum Christo, animo ab omnibus terrenis curis libero ac soluto, unice Christum quaereret, eius spiritu ageretur, cum

([1]) *In Is.*, *Prol.* (PL 24, 17 B); cf. tract. de Ps. 77 (Anecd. Mareds. 3, 2, 59).

([2]) *Ep.* 30 *ad Paulam* 7 (Corp. 54, 246; PL 22, 443).

([3]) *Tract. de Ps.* 1 (Anecd. Mareds. 3, 2, 6).

([4]) *Tract. in Mc.* 9, 1-7 (Anecd. Mareds. 3, 2, 353).

([5]) *In Mt.* 13, 45 s. (PL 26, 94 D).

eo coniunctissime viveret, eum patientem in se, imitando, effingeret, nihil haberet antiquius, quam ut cum Christo et pro Christo pateretur.

Quare, cum, iniuriis odiisque improborum hominum lacessitus, Damaso vita functo, Roma discessisset, in eoque esset, ut navem conscenderet, haec scribebat: « Et licet me sceleratum quidam putent et omnibus flagitiis obrutum, et pro peccatis meis etiam haec parva sint, tamen tu bene facis, quod ex tua mente etiam malos bonos putas... Gratias ago Deo meo quod dignus sum quem mundus oderit... Quotam partem angustiarum perpessus sum qui cruci milito? Infamiam falsi criminis importarunt: sed scio per malam et bonam famam perveniri ad regna caelorum » ([1]).

Et sanctam virginem Eustochium ad eiusmodi vitae labores pro Christo fortiter ferendos sic hortabatur: « Grandis labor, sed grande praemium, esse quod Martyres, esse quod Apostolos, esse quod Christus est... Haec omnia, quae digessimus, dura videbuntur ei, qui non amat Christum. Qui autem omnem saeculi pompam pro purgamento habuerit et vana duxerit universa sub sole, ut Christum lucrifaciat, qui commortuus est Domino suo et conresurrexit et crucifixit carnem cum vitiis et concupiscentiis, libere proclamabit: *Quis nos separabit a caritate Christi?* » ([2]).

506 Fructus igitur e Sacrorum Voluminum lectione Hieronymus capiebat uberrimos: inde interiora illa lumina, quibus ad Christum magis magisque cognoscendum adamandumque trahebatur; inde spiritum illum orationis, de quo tam pulchra conscripsit; inde mirabilem illam cum Christo consuetudinem, cuius incitatus deliciis, per arduam crucis semitam, ad adipiscendam victoriae palmam sine intermissione procurrit.

Idem continuo animi ardore in Sanctissimam Eucharistiam ferebatur, cum « nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat vitro » ([3]); nec minore reverentia et pietate Deiparam colebat cuius perpetuam virginitatem pro viribus defendit: eandemque Dei Matrem, nobilissimum virtutum omnium exemplar, Christi sponsis proponere ad imitandum consueverat ([4]).

([1]) *Ep.* 45 *ad Asellam* 1. 6 (Corp. 54, 323 s. 327. 328; PL 22, 480. 482. 483).

([2]) *Ep.* 22 *ad Eustochium* 38 s. (Corp. 54, 204. 205; PL 22, 422. 423); cf. Rom. 8, 35; Phil. 3, 8; 2 Tim. 2, 11; Col. 3, 1; Gal. 5, 24.

([3]) *Ep.* 125 *ad Rusticum* 20, 4 (Corp. 56, 141; PL 22, 1085).

([4]) Cf. *ep.* 22 *ad Eustochium* 38, 3 (Corp. 54, 203; PL 22, 422).

Quamobrem nemo mirabitur, tam vehementer Hieronymum allectum atque attractum esse iis Palaestinae locis, quae Redemptor Noster et Sanctissima eius Mater consecravissent; ipsius profecto sententiam in iis licet agnoscere, quae Paula et Eustochium, eius discipulae, ex urbe Bethlehem ad Marcellam conscripserunt: « Quo sermone, qua voce speluncam tibi possumus Salvatoris exponere? Et illud praesepe, in quo infantulus vagiit, silentio magis quam infirmo sermone honorandum est... Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare, in sepulcro Domini flere cum sorore, flere cum matre? Crucis deinde lignum lambere et in Oliveti monte cum ascendente Domino, voto et animo sublevari? (1).

Has igitur recolens sacras memorias, Hieronymus, Roma procul, corpori quidem duriorem sed tam suavem animo vitam agebat, ut exclamaret: « Habeat Roma, quod angustior Urbe Romano possidet Bethlehem » (2).

Sanctissimi viri optatum, alia ratione, atque ipse intelle- 507
gebat, perfectum esse, est cur Nos gaudeamus et Romani cives Nobiscum gaudeant; quas enim Doctoris Maximi reliquias, in illo ipso specu conditas, quem tamdiu incoluerat, Davidica nobilissima civitas se olim possidere gloriabatur, eas iam felix Roma habet, in maiore Deiparae Basilica depositas, apud ipsum Praesepe Domini.

Silet quidem vox illa, cuius sonum e solitudine olim prodeuntem totus audivit catholicus orbis; sed scriptis suis, quae « per universum mundum quasi divinae lampades rutilant » (3), Hieronymus adhuc clamat.

Clamat quae sit Scripturarum praestantia, quae integritas et historica fides, quam dulces fructus earum lectio pariat ac meditatio.

Clamat, ut ad institutum vitae christiano nomine dignum omnes Ecclesiae filii redeant, et ab ethnicorum moribus, qui hac nostra aetate paene revixisse videntur, se immunes atque incolumes servent.

Clamat, ut Petri Cathedra, Italorum praesertim pietate et studio, quorum in finibus divinitus constituta est, eo sit in honore, ea fruatur libertate, quam apostolici muneris dignitas atque ipsa perfunctio omnino postulant.

(1) *Ep.* 46 *Paulae et Eustochium ad Marcellam* 11. 13 al. 10. 12 (Corp. 54, 341. 343; PL 22, 490. 491).

(2) *Ep.* 54 *ad Furiam* 13, 6 (Corp. 54, 481; PL 22, 557).

(3) Io. Cassian., *De Incarn.* 7, 26 (Corp. 17, 384; PL 50, 256 A).

Clamat, ut christianae illae gentes, quae ab Ecclesia Matre misere desciverunt, ad eam denuo confugiant, in qua spes omnis posita est salutis aeternae. Atque utinam his monitis obsequantur orientales in primis Ecclesiae, quae iam nimium diu a Petri Cathedra averso sunt animo. Hieronymus enim, cum in iis regionibus viveret et Gregorio Nazianzeno Didymoque Alexandrino usus esset magistris, orientalium aetatis suae populorum doctrinam ea complexus est pervulgata sententia: « Si quis in Noe arca non fuerit, periet regnante diluvio » ([1]).

Cuius diluvii fluctus nonne hodie impendent ad omnia, nisi eos Deus avertat, hominum institutua destruenda? Ecquid enim, sublato universarum rerum auctore et conservatore, Deo, non corruat? Ecquid non pereat, quod ab se Christum, qui vita est, segregarit? Sed qui olim, discipulis comprecantibus, mare turbatum tranquillavit, potest idem pulcherrima pacis munera exagitatae hominum consortioni restituere.

In quo opituletur Hieronymus Ecclesiae Dei, quam cum peramanter coluit, tum a quavis adversariorum oppugnatione strenue defendit: idque patrocinio suo impetret, ut, discidiis secundum Iesu Christi optata compositis, fiat *unum ovile et unus pastor* ([2]).

508 Iam quae, Venerabiles Fratres, quinto decimo a Doctoris Maximi obitu exeunte saeculo, vobiscum oommunicavimus, ea vos ad clerum populumque vestrum perferre ne cunctemini, ut omnes, Hieronymo duce ac patrono, non modo catholicam de divina Scripturarum inspiratione doctrinam retineant ac tueantur, sed etiam principiis studiosissime inhaereant, quae Litteris Encyclicis « Providentissimus Deus » et hisce Nostris praescripta sunt.

Universis interea Ecclesiae filiis optamus, ut, Sacrarum Litterarum dulcedine perfusi et roborati, supereminentem Iesu Christi scientiam assequantur; cuius auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, Vobis, Venerabiles Fratres, cunctoque clero et populo vobis concredito, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 15 mensis Septembris anno 1920 Pontificatus Nostri 7.

BENEDICTUS PP. XV

([1]) *Ep.* 15 *ad Damasum* 2, 1 (Corp. 54, 64; PL 22, 355).
([2]) Io. 10, 16.

5. Pont. Commissio de Re Biblica, *17 Nov. 1921:* **Declaratio de additione variarum lectionum in editionibus versionis Vulgatae N. et V. T.** (1)

In Praefatione ad Lectorem editionis Clementinae versionis 509
Vulgatae Sacrarum Scripturarum legitur:

« Porro in hac editione nihil non canonicum,... nullae ad marginem concordantiae (quae posthac inibi apponi non prohibentur), nullae notae, nullae variae lectiones, nullae denique praefationes... Sed sicut Apostolica Sedes industriam eorum non damnat, qui concordias locorum, varias lectiones, praefationes S. Hieronymi et alia id genus in aliis editionibus inseruerunt; ita quoque non prohibet, quin, alio genere characteris, in hac ipsa Vaticana editione eiusmodi adiumenta pro studiosorum commoditate atque utilitate in posterum adiiciantur; ita tamen, ut lectiones variae ad marginem ipsius textus minime adnotentur ».

Cum autem sint, qui putent ultimis hisce verbis prohiberi additionem variarum lectionum non solum in margine laterali, verum etiam in inferiore seu ad calcem textus, quaesitum est a Pontificia Commissione Biblica: utrum liceat in editionibus versionis Vulgatae tam Novi quam Veteris Testamenti lectiones varias aliave huiusmodi studiosorum adiumenta ad calcem textus adiicere?

Re examinata, Pontificia Commissio Biblica respondit:

Affirmative.

Quam resolutionem Ssmus Dominus Noster Benedictus Pp. XV in audientia diei 17 Novembris 1921 adprobare dignatus est.

† Henricus Laurentius Janssens, O. S. B.,
Ep. Bethsaiden., Consultor ab Actis

(1) *Acta Apost. Sedis* 14 (1922) 27.

PIUS XI ab a. 1922

S. S. Congr. S. Officii, Epistola ad R. D. Moderatorem supremum Societatis Presbyterorum a Sancto Sulpitio, *22 Dec. 1923,* **circa decretum damnationis operis « Manuel biblique »** (1)

Reverendissime Domine,

510 Iam pluribus ab annis multi conquerebantur de opere quod inscribitur « Manuel biblique ou Cours d'Ecriture Sainte à l'usage des Séminaires » a D. Vigouroux et D. Bacuez, Societatis S. Sulpitii presbyteris, primum quidem exarato, sed postmodum a D. Brassac, eiusdem Societatis sodali, funditus retractato. Ipsa Sancta Sedes iam animum ad rem converterat, quum Reverentia Tua, anno 1920, a Summo Pontifice supplicibus precibus petiit, ut totum opus Romae examini subiiceretur eaque omnia, quae forte inibi corrigenda essent, describerentur, ut in nova editione emendari possent. Cui petitioni, licet prorsus insolitae, Summus Pontifex Benedictus f. m. Pp. XV benigne annuit atque huic Supremae Congregationi volumina recognoscenda commisit.

511 Examine autem, pro rei momento, mature ac diligentissime peracto, manifestum apparuit opus laborare multis gravibusque vitiis, quae illud ita pervadunt et inficiunt, ut prorsus impossibilis foret ipsius emendatio. Missis enim quamplurimis aliis erroribus, D. Brassac circa inspirationem Sacrae Scripturae et eius inerrantiam, praesertim in rebus historicis, ubi inter substantiam narrationis et adiuncta distinguit, circa authenticitatem et veritatem historicam plurium librorum inspiratorum, ea habet, quae decretis dogmaticis sacrorum Conciliorum Tridentini ac Vaticani ceterisque documentis magisterii ecclesiastici, ut ecce Litteris Encyclicis Leonis XIII ac Pii X, decretis S. Officii et Pontificiae Commissionis de Re Biblica, necnon toti traditioni catholicae evidenter adversantur.

512 Quod speciatim ad inerrantiam absolutam Sacrae Scripturae attinet, sufficiat in mentem revocare doctrinam Leonis XIII in Encyclica *Providentissimus :* Nullatenus « toleranda est eorum ratio,

(1) *Acta Apost. Sedis* 15 (1923) 616-619.

« qui... falso arbitrantur, de veritate sententiarum cum agitur, non « adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpen- « datur, quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque in- « tegri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum « omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; « tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse pos- « sit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, « sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, « Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse « Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sen- « tentia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata « denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano. ...Qua- « re nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homi- « nes tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem pri- « mario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi po- « tuerit. Nam supernaturali Ipse virtute ita eos ad scribendum « excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque « sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter « conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent; secus, « non Ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae. ...Consequitur, « ut qui in locis authenticis Librorum Sacrorum quidpiam falsi « contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae in- « spirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant « auctorem » ([1]).

Eamdem doctrinam contra Modernistas defendit S. Officium damnando prop. XI in decreto *Lamentabili*: « Inspiratio divina « non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et « singulas eius partes ab omni errore praemuniat » ([2]).

Tandem, in decreto Pontificiae Commissionis Biblicae diei 18 Iunii 1915 edicitur, ex dogmate catholico de inspiratione et inerrantia Sacrarum Scripturarum consequi, quod « omne id, quod ha- « giographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, « enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto » ([3]).

Falsa etiam D. Brassac utitur methodo, cum, neglecta ni- 513
mis expositione positiva integrae doctrinae catholicae, animo spe-

([1]) V. supra n. 109-111.
([2]) V. supra n. 195.
([3]) V. supra n. 433.

cietenus indifferenti proponit ex una parte argumenta, quae stant pro sententia traditionali, ex altera vero studiose effert rationes, quae arte critica, quam vocant, ex indiciis internis accumulantur ad novas opiniones commendandas, quin harum rationum inefficaciam atque debilitatem verbo indicet. Et ita parvi facit monitum Leonis XIII: « Perperam et cum religionis damno inductum « est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo ex « solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, in« tegritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra, perspicuum est, « in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio « librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam « studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes « internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quam« dam confirmationem, possint advocari » ([1]). Aliud etiam vetat Summus Pontifex in eadem Encyclica, scilicet ne in quaestionibus, quae ad eruditionem faciunt, « plus temporis tribuatur et operae, « quam pernoscendis Divinis Libris, neve corrogata multiplex re« rum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam « adiumenti » ([2]).

514 Non paucas habet Auctor interpretationes quae sensui Ecclesiae omnino refragantur. Lamentanda sane res, quum Concilium Tridentinum decreverit, « ut nemo, suae prudentiae innixus, in re« bus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae per« tinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus detorquens, con« tra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, « cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum « Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam « Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi inter« pretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent » ([3]). Quam praescriptionem Patres Concilii Vaticani his verbis declararunt: « Quoniam vero, quae Sancta Tridentina Synodus de inter« pretatione Divinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia sa« lubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos « idem decretum renovantes hanc illius mentem esse declaramus, « ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christia-

([1]) V. supra n. 104.
([2]) V. supra n. 92.
([3]) V. supra n. 47.

« nae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus « sit, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudi- « care de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum ; « atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra « unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram inter- « pretari » (1).

Generatim autem Auctor, licet sententias *scholae largioris*, 515
quas studiose proponit, non semper aperte amplectatur, ad eas tamen inclinat, et saepius adhibet locutiones ambiguas et formulas captiosas, quae utroque modo, tum orthodoxo tum opinionibus eiusdem *largioris scholae* favente, intelligi possunt, immemor aureae illius regulae, quam Pius X ab omnibus Sacram Scripturam praelegentibus stricte servari praecepit : « Doctor Sacrae Scripturae « tradendae sanctum habebit numquam a communi doctrina ac « traditione Ecclesiae vel minimum discedere ; utique vera scientiae « huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in « rem suam convertet, sed temeraria novatorum commentaria ne- « gliget ; idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, qua- « rum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum con- « ducat ; denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, « prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* con- « tinentur » (2).

Nihil Auctor curat, ut parum dicamus, decisiones Pontificiae 516
Commissionis Biblicae, de quibus Pius X edicit : « declaramus ex- « presseque praecipimus universos omnes conscientiae obstringi of- « ficio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, sive quae ad- « huc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac Decre- « tis Sacrarum Congregationum, pertinentibus ad doctrinam pro- « batisque a Pontifice, se subiiciendi » (3).

Quin D. Brassac haec praecepta sancte servet, potius vim argumentorum, quae favent doctrinae communiter receptae, enervat, dum e contrario fortiter difficultatibus ab adversariis allatis insistit ; saepe documenta magisterii ecclesiastici negligit vel eorum sensum ad propria placita pervertit ; indolem praeternaturalem vel

(1) V. supra n. 63.

(2) Litt. Apost. *Quoniam in re biblica*, 27 Martii 1906, num. 13 ; v. supra n. 168.

(3) V. supra n. 279.

miraculosam plurium factorum ab hagiographis narratorum vel silentio premit vel ad minimum reducit; vaticiniis messianicis non raro omnem fere vim probandi adimit; in multis a recto tramite doctrinae theologicae deflectit; plus aequo tribuit auctoribus heterodoxis vel scriptoribus catholicis theoriis liberioribus imbutis, dum Leo XIII declarat, nimium dedecere « ut quis, egregiis operibus, « quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, hetero- « doxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctri- « nae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem « locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iam- « dudum optimeque collocarint », nec incorruptum Sacrarum Litterarum sensum ab eis tradi posse, qui, « verae fidei expertes, Scrip- « turae non medullam attingunt, sed corticem rodunt » (1). Tandem quasi nihil habet quod pietatem fovere possit, ac ita spiritum, quo antiquum D. Vigouroux opus praestabat, penitus immutavit.

517 Quae omnia eo graviora sunt, quod agitur de « Manuali », quod in manibus versatur tot alumnorum sanctuarii, quorum institutioni Ecclesia materna cum sollicitudine invigilare debet. Ipsa enim vehementer cupit, ut ii, qui in spem altaris succrescunt, reverentiam ac amorem altissimum erga Sacram Scripturam concipiant, ita ut, sacerdotio aucti et vineam Domini ingressi, experimento noscant, quam sit *utilis omnis Scriptura divinitus inspirata ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (2).

Quare Emi ac Revmi DD. Cardinales una mecum Inquisitores Generales latum die 12 huius mensis praefati operis damnationis decretum edere sui muneris esse duxerunt, ac simul cetera nondum evulgata decimaequintae editionis volumina operis « Manuel biblique » imprimi omnino prohibuerunt.

Haec autem omnia SSmus Dominus Noster Pius PP. XI, suprema Sua auctoritate probata ac confirmata, tecum communicanda mandavit.

Et fausta cuncta atque felicia tibi adprecor.

Romae, 22 decembris 1923.

R. Card. MERRY DEL VAL.

(1) V. supra n. 98.
(2) 2 Tim. 3, 16 s.

Motu proprio « Bibliorum scientiam », *27 Apr. 1924*, **de disciplinae biblicae magisteriis** (¹)

Bibliorum scientiam quanti Ecclesia Dei perpetuo fecerit, vel scripta testantur, a christianae religionis primordiis usque adhuc, ad fidem docendam tuendamque edita. Libris enim Sacris, altero divinae revelationis fonte, haud secus ac traditis sine scripto doctrinis, quicquid de Deo, de Christo, hominum Redemptore, de nativa Ecclesiae constitutione deque morum disciplina scimus, innititur id omne ac fulcitur. Quamobrem rei biblicae studia tanto plus viguerunt, quanto oportuit acrius aut veritatem inlustrare aut errores inimice infesteque in Christi divinitatem inque Ecclesiam prolatos refellere; acatholicis autem et rationalistis eo usque temeritatis audaciaeque progressis, ut ipsam Scripturae Sanctae auctoritatem atque ab errore immunitatem appeterent, iam nostris necesse fuit, magna sanae eruditionis copia instructis, in certamen descendere, ut divinum Caelestis Sapientae donum a falsae scientiae commentis defenderent. 518

In qua quidem palaestra si omnes ex utroque clero alumni, 519
per sacrorum studiorum cursum, graviter institui atque exerceri debent, at plenissimam tamen incorruptamque rei biblicae cognitionem ii percipiant oportet, qui ad eiusmodi disciplinam aut in Seminariis studiorumve Universitatibus tradendam aut scripto tractandam peculiari quadam ingenii sui propensione allici et reservari videantur: qui si tantulum ab Ecclesiae sensu aberrarint, iam apud plures alios integritas fidei in periculum discrimenque vocabitur. Rei huiusce momenta cum proximi decessores Nostri provido intentoque animo ponderassent, Commissione, ut aiunt, Purpuratorum Patrum et Instituto item Biblico conditis, datisque haud semel, ut Sacrae Scripturae studia proveherent, ad universos etiam catholici orbis Antistites, Litteris, inter alia id quoque edixerunt, magistros eius disciplinae esse caute prudenterque deligendos, et alumnos optimae spei, qui nati apti ad Bibliorum studia viderentur, ad promerenda etiam huius disciplinae insignia excitari adiuvarique debere, quibus aliquando Divinarum Litterarum magisteria committerentur. Quae quidem hortamenta et iussa sapientissimorum Pontificum magno sane emolumento fuere: verumtamen ut eadem, additis per Nos praescriptis atque incitamentis, quae tem-

(¹) *Acta Apost. Sedis* 16 (1924) 180-182.

porum condicio postulat, uberiores solidioresque afferant utititates, placet haec, quae sequuntur, auctoritate Nostra decernere:

520 I. Gradus academici, apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum, facto scientiae periculo, impetrati, eadem pariant iura eosdemque canonicos effectus, ac gradus in sacra theologia vel in iure canonico a quibusvis Pontificiis Athenaeis et Catholicis Institutis conlati.

521 II. Beneficium, in quo canonice insit onus Sacrae Scripturae populo explanandae, ulli ne conferatur, nisi, praeter alia, sit is licentia aut laurea in re biblica potitus.

522 III. Nullus item Sacrarum Litterarum disciplinae in Seminariis tradendae doctor esto, nisi, confecto peculiari eiusdem disciplinae curriculo, gradus academicos apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime sit. Volumus autem ut baccalaurei titulus iis ab Instituto Biblico tributus, qui ibidem primum alterumque curriculi annum — graviores nempe doctrinas percipiendo — peregerint, satis sit cum ad rem biblicam docendam, tum ad beneficium, de quo n. II, assequendum, incolumi tamen iure eos anteferendi, qui licentia laureave aucti sint.

523 IV. Summi Ordinum regularium Sodalitatumque religiosarum Moderatores id velle Nos sciant, ut quos ex alumnis suis, aut Romae aut alibi sacrarum disciplinarum curriculum agentibus, ad Divinarum Litterarum studia aptiores deprehenderint, si non omnes, at saltem eorum aliquem, post exactum theologiae cursum, Scholas Instituti Biblici frequentare iubeant.

524 V. Id ipsum catholici orbis Episcopis sanctum ac sollemne esto, qui, praeterea, rem Nobis pergratam facturi sunt, si annuam pecuniam constituerint, constituendamve aliorum liberalitate curarint, uni vel pluribus e sua cuiusque dioecesi sacerdotibus Romae alendis, ea de causa, ut Instituti Biblici scholas celebrent ibique gradus academicos adipiscantur. Quos autem Episcopi, huius rei gratia, in Urbem miserint, iis excipiendis hospitia profecto non deerunt.

525 VI. Ut, quod postremo loco hortati sumus, id exemplo confirmemus Nostro, ducenta libellarum italicarum millia largimur, quarum annuum reditum in sacerdotes duos, ut supra, Romae alendos per Sacram Congregationem Seminariis studiorumque Universitatibus praepositam erogaturi sumus: cui quidem Sacrae Congregationi omnia, quae superioribus quinque capitibus decrevimus, ad effectum deducenda ac pro prudenti arbitrio moderanda attribuimus.

Divinam interea Sapientiam rogamus incepto faveat Nostro, quocum maximum religionis bonum cohaeret profecto ac coniungitur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 27 mensis Aprilis anno 1924, Pontificatus Nostri 3.

PIUS PP. XI

Pont. Commissio de Re Biblica *26 Febr. 1927.* **Declaratio de laurea in theologia ad gradus academicos in Sacra Scriptura obtinendos requisita** ([1])

Ut nonnullis occurratur dubiis, quae passim exorta sunt de 526
interpretandis documentis Pontificiis, quibus laurea in theologia omnibus ad gradus academicos in Sacra Scriptura contendentibus praescribitur, Eminentissimi DD. Cardinales Rei Biblicae praepositi hanc declarationem edendam censuerunt:

Ad gradus academicos in Sacra Scriptura contendere ii soli possunt:

1. qui, expleto biennio philosophico, in aliqua Universitate aut Athenaeo a Sancta Sede adprobato, cursum theologicum ad normam can. 1365 vel 589 regulariter peregerunt et ibidem lauream in sacra theologia legitime adepti sunt;

2. vel qui, studiis iuxta praescriptiones iuris peractis in In- 527
stituto, cui non est facultas apostolica concedendi lauream, per duos saltem annos in aliqua Universitate aut Athenaeo a Sancta Sede adprobato studia theologica prosecuti, doctores in sacra theologia ibidem renuntiati sunt;

3. vel Religiosi qui, studiis iuxta praescriptiones iuris perac- 528
tis, in proprio Instituto adepti sunt titulum, qui ipsis, ex facultate a Sancta Sede Religioni facta, ad instar laureae in sacra theologia legitime collatus est.

Die autem 26 Februarii 1927, in audientia infrascripto Rmo Consultori ab Actis benigne concessa, SSmus Dominus Noster Pius PP. XI praedictam declarationem ratam habuit ac publici iuris fieri mandavit.

IOANNES BAPTISTA FREY, C. S. Sp.
L. ✠ S. *Consultor ab Actis.*

([1]) *Acta Apost. Sedis* 19 (1927) 160.

INDEX RERUM SYSTEMATICUS

(*Indicantur numeri marginales*)

I. — DE SACRA SCRIPTURA GENERATIM

II. — DE CANONE.

III. — DE INSPIRATIONE S. SCRIPTURAE.

De Existentia Inspirationis.

De Natura Inspirationis.

De Extensione Inspirationis.

III h Nefas est inspirationem ad aliquos tantum S. Scripturae partes coangustare 109 195 461 512, v. gr. ad res fidei et morum 109, vel ad elementum primarium, relicto humanae infirmitati elemento secundario 468; nec licet extensionem inspirationis ex fine religioso S. Scripturae dimetiri 109 468 512.

III i Inspiratio ita ad totam Scripturam Sacram extenditur ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat 195 515, nam omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto 433, et omnis sensus omniumque sententiarum Scripturae Deus causa princeps habendus est 461.

III k Decretis generalibus Indicis damnantur opera in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur 126.

IV. — DE VERITATE ABSOLUTA S. SCRIPTURAE.

IV a *Immunitas ab omni omnino errore* Librorum Sacrorum, quales ab hagiographis editi sunt, fluit necessario ex catholica divinae inspirationis notione 108-111 116 463 415 512; est doctrina Christi 476, doctrina Patrum omnium et Doctorum 112; una cum doctrina de inspiratione, pertinet ad antiquam et constantem fidem Ecclesiae 29 31 110 463, solemni etiam sententia in Conciliis definitam Florentino et Tridentino 110, ad dogma catholicum 433.

IV b Non licet eam restringere ad res fidei et morum 109 467, sed extenditur ad res physicas 105-107 467 s., licet hagiographus ea secutus sit quae sensibiliter apparent 106 338; ad res historicas 108 469-471 511 s., ad omnes Bibliorum partes, sine ullo delectu ac discrimine 109 195 273 463 468. Nec licet, quoad inerrantiam, distinguere inter elementum primarium seu religiosum, et elementum secundarium seu profanum 467 s.; neque admitti potest, in narrationibus historicis, veritas quae dicitur *relativa* 469, nam lex historiae praecipua haec est, scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt, congruere oportere 470; nec ad defensionem sententiae oppositae invocari potest auctoritas Leonis XIII 469-471 vel S. Hieronymi 472 s.

IV c Verae sunt narrationes Evangeliorum 198 406 416 et Actuum Apostolorum 423 s.

V. — DE INTERPRETATIONE SS. LIBRORUM

VI. — DE TEXTIBUS PRIMIGENIIS ET DE VERSIONIBUS

VII. — DE HISTORIA EXEGESEOS

VIII. — DE PONTIFICIA COMMISSIONE DE RE BIBLICA

IX. — DE PONTIFICIA COMMISSIONE VULGATAE RESTITUENDAE.

X. — DE PONTIFICIO INSTITUTO BIBLICO.

XI. — DE LIBRIS SACRIS ET ALIQUIBUS TEXTIBUS DE QUIBUS SPECIALIA

Exstant Ecclesiae documenta

INDEX ALPHABETICUS

L.

M.

T.

U.

V.

W.